PA 6276
.Z5 T4
Copy 1

PA 6276
.Z5 T4
Copy 1

76
T4

DE
CATULLI TIBULLI PROPERTII
VOCIBUS SINGULARIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM FRIBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

OBTULIT

FRANCISCUS TEUFEL.

75309

FRIBURGI BRISIGAVORUM
TYPIS LEHMANNI.
MDCCCLXXII.

PA6276
Z574

Quod Achilles Statius (ad Cat. 25, 2) observavit esse apud Catullum, quae nova dici possent quod apud alios non reperirentur, id verumne sit an ad coniecturam suam, ‚amaricilla' tuendam a viro ingeniosissimo temere fictum perdiu non magis a quoquam investigatum est quam rectene se habeat quod magnus Bentleius (ad Hor. c. III, 2,18) contendit, esse apud Horatium quae iam post tot scriptores deperditos singularia essent et semel inventa. Et Bentleii quidem observationem nostra demum aetate C. Zangemeisterus [1]) protraxit collectisque omnibus exemplis clarissima in luce collocavit; Statii verba prorsus obruit oblivio, neque eorum memor fuisse videtur L. Muellerus qui tamen primus (indic. gr. in Cat. carm. p. 129) colligendi non solum Catulli verum etiam Tibulli Propertiique voces singulares auctor extitit. Ipsa viri clarissimi atque in hoc litterarum genere facile principis verba apponam. Quantum ad grammaticos, inquit, dolendum sane quod nondum extitit qui ἅπαξ εἰρημένα in libris scriptorum quos dixi eadem sollertia enarraret, qua in Horatii carminibus enotata sunt a Zangemeistero. Id igitur ut aliquando eveniat magnopere interest harum litterarum. Itaque haud inutilem visum iri spero hanc commentationem, in

---

[1]) De Horatii verbis singularibus Berol. 1862.

qua omnia collecta sunt vocabula, quae aut apud solos eroticos aut certe non nisi apud ultimos scriptores latinos leguntur. Ac cum et mihi esset persuasum, Zangemeisterum quid praestandum esset ei qui similem tractaret materiam luculento exemplo demonstrasse, eundem quo usus ille ordinem, quoad per scriptorum diversitatem fieri licuit, in digerendis vocabulis servavi; ceterum cum temporis augustiae me premerent minus laboravi in singulis vocibus doctrinae copiis illustrandis, quae utique necessaria erant contentus addidisse. — In laudandis eroticorum versibus L. Muelleri, ut par erat, editionem secutus sum. —

Jam antequam ad ipsius rei tractationem progrederer haud alienum duxi commemorare illud, non posse facile scriptores reperiri diutinae societatis vinculo artissime coniunctos, quorum magis diversa quam horum fuerit oratio, id quod cum aliis rebus plurimis apparet tum vocibus ab iisdem novatis. Neque fugit ea differentia acerrimum iudicem, Jos. Scaligerum, cuius hoc est verissimum iudicium (Scaligeran. ed. Amstel. 1740 p. 45) ‚Catullus observantissimus vel morosissimus observator puritatis Latinae linguae, Tibullus tersissimus ac nitidissimus poeta fuit, Propertius castigatissimus auctor et facundissimus.' Quibus addenda quae dixit Muretus in praefationibus ad Catulli Tibulli Propertii carmina (cf. ep. II, 11. 13 ed. Tauchn.), qui ita hanc quaestionem persecutus est, nihil ut me quidem iudice dici possit melius. Id quod nunquam intellegitur magis, quam si illius viri elegantissimi cum Hertzbergii placitis (quaestt. Propertt. p. 56 sq.) comparaveris iudicium. Quippe Catullus ea floruit linguae latinae aetate quae a Cicerone nomen adepta est, ubi patrii sermonis castitas non-

dum labefactata erat Graecorum imitatione, cum contra Tibullus atque Propertius eo uterentur sermone poetico, quem Vergilius potissimum et Horatius ad Graecorum normam ingeniosissime conformaverant. Inde plurima quae apud Augusteae aetatis poetas satis frequenter occurrunt, apud Catullum nunquam aut certe rarissime inveniuntur. Neque nunc in animo est fusius persequi hanc materiam per se satis amplam, cum habeat aliud argumentum haec scriptio; unum alterumve exemplum sufficiat. Latissime patere apud poetas Augusteos infinitivi usum nemini ignotum, adeo ut Tibullus non veritus sit dicere, ut alia multa omittam: illis eriperes verbis mihi sidera caeli — lucere et puras fulminis esse vias' (I,9, 35 sq.), Propertius: ‚nec me deficiet nautas rogitare citatos (I, 8, 23) et mihi non desunt turpes pendere corollae — semper et exclusi signa iacere faces (I, 16, 7 sq.), cui simile extat exemplum in panegyrico Messalae (v. 100): tum tibi non desit faciem componere pugnae. Jam vero talia qualia sunt: parcite violare (Tib. I, 6, 51) parce nocere (Lygd. 5, 6) tollere tum curast (Tib. I, 8, 45) causa perire fuit (Lygd. 2, 30) libertas loqui (Prop. I, 1, 28) studium conquirere (I, 2, 3) parce movere (I, 15, 26) tempus lustrare, dare (III, 1, 1. 2) nomen lassa vocare meum (III, 5 28) talia, inquam, tam familiaria sunt Tibullo atque Propertio, integras paginas ut implere possim exemplis. Atqui Catullus duo tantum liberioris infinitivi usus exempla habet eaque in epyllio, in quo illum Graecorum insistere vestigiis nulla plane dubitatio est: nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt (v. 146) nam simul ac fessis dederit fors copiam Achivis-solvere (v. 366 sq.). Similis in casuum usu modestia; id quod iam inde apparet quod accusati-

vus quem graecum vocant perraro apud Catullum occurrit, apud Tibullum et Propertium saepissime. Verum et haec et alia quae habeo in promptu cum maiore subtilitate egeant proprio aliquando tractabo opusculo. — Neque vero solo temporis discrimine tanta intercedit inter Catulli et Tibulli Propertiique sermonem differentia. Aliud dicendi genus aptum est iambis et hendecasyllabis, aliud elegiis. Quid? quod ne ipsae quidem Catulli elegiae eiusdem sunt generis atque Tibulli et Propertii, ut quae epigrammatis plerumque speciem prae se ferant, neque, paucissimis exceptis — dico c. 65. 66. 68. et minorum nonnulla —, aliud habeant argumentum quam hendecasyllabi, quibus rivalium aliorumque aequalium vitia insectatur. Inde potissimum factum, ut non pauca cum comicorum sermone habeat communia Catullus, e quibus hoc unum commemorare sat erit, alde adamare eum substantiva verbalia in — io exeuntia, quibus iisdem abundant Plauti Terentiique fabulae. Atque exempla Catulliana notavi haec: adprobatio (45, 9. 18) aestimatio (12, 12) ambulatio (55, 6) argutatio (6, 11) basiatio (7, 1) cogitatio (35, 5) essuritio (18, 1. 23, 14) fututio (32, 7) inambulatio (6, 11) inrumatio (21, 8) iocatio (61, 123) locutio (61, 127) oratio (44, 11) osculatio (48, 6) vocatio (47, 7). cf. etiam Muret. ad 7, 1. Exempla Plautina plurima congessere Lorenzius ad Mostell. 6. 34. 364. Brixius ad Trin. 709. Multo etiam magis apparet illud deminutivoorum usu, quorum plurima Catullus aut ipse finxit ingeniose aut ab aliis ficta adhibuit. [1]) Sunt et alia,

1) Cfr. Fr. Heussneri observatt. gramm. in Catullum, Marburgi Catt. 1869 p. 35 sqq. ubi omnia exempla diligentissime collecta sunt.

quae eodem possunt referri, ut locutiones illae: at vobis male sit malae tenebrae (3, 13) non, inquam, mihi tam fuit maligne (10, 18) non est mi male, sed bene ac beate (14, 10. cf. 23, 15) est pulcre tibi cum tuo parente (23, 5) malest, Cornifici, tuo Catullo (38, 1) quare quod scribis, Veronae turpe Catullo — esse (68, 27 sq.); at longius ista persequi vetat scriptionis huius consilium.— Neque desunt antiquitatis vestigia in Catulli sermone, quae eadem multo etiam sunt frequentiora in Lucretii libris, etsi neuter habet ea, quae Ciceronis aequalem admisisse nefas sit. Et huius rei dabo exemplum. C. 39, 9 legimus: quare monendum test mihi, bone Egnati. Idem loquendi genus valde usitatum Lucretio cf. Holtze, synt. Lucret. c. IX p. 135 sq. ubi omnia exempla diligenter collecta sunt. Vide etiam Brix. ad Plauti Trin. 869 et quem hic laudat Reisig. Vorles. p. 766.[1]) Hoc loco etiam illud commemorabo, quod melius fortasse supra posuissem, Catullum non magis quam Lucretium — si quidem Lachmanni vera est observatio — uti particula quae est e t eodem sensu quo vulgo dicebant e t i a m. Et de Catullo quidem extra dubitationem posita res est; Lucretium vero, cum Lachmannus omnia expulisset istius usus exempla (vide inprimis ipsum ad 1, 830) alii ut Bergkius (ann. phil. 1853. tom. 67. p. 137) usum esse hac particula eo quo dixi sensu affirmarunt neque dubitavit Holtzius ea omnia quae damnaverat Lachmannus exempla tanquam proba libro suo inserere (c. XIV. p. 172 sq.). Equidem quanquam dubito plerumque magis tamen ad Lachmannum sententia in-

---

[1]) Alia dat C. P. Schultze in dissertatione sua ‚de Catullo Graecorum imitatore' Jenae 1871 p. 6 sqq.

clinat, quia optimos illius aevi scriptores aut respuisse aut nisi certis quibusdam legibus non probasse istam significationem video. At Augusteae aetatis scriptores prope indifferenter utebantur particulis et atque etiam eumque usum secuti sunt Tibullus et Propertius. — Neque vero eodem plane dicendi genere usi sunt Tibullus atpue Propertius, quanquam ea quae inter illos intercedit diversitas multo minus constat grammaticis minutiis quam arte atque ingenio. Qua de re cum sat multa iam dixerint interpretes iique qui litterarum Romanarum composuere historiam, disserere et ipse supersedere posse videor. —

Atque haec dicenda esse putabam, antequam ipsam rem aggrederer, nunc singula enumerabo vocabula. Ac primum quidem Zangemeisteri secutus exemplum ponam graeca quae apud unumquemque occurrunt, dein latina; in singulis tamen disponendis pro scriptorum diversitate, id quod iam supra monui, ab illius ordine nonnunquam erit discedendum.

A. Catullus.

I. Graeca.

Nomina.

Quae cum aut nomina propria sint aut appellativa, hunc semper ordinem servabo, ut primum disseram de nominibus propriis, dein de appellativis. Atque utriusque generis perpauca habet Catullus. Nomina propria tria tantum apud eum leguntur, quae frustra quaesieris apud reliquos scriptores latinos:

Nereine 64, 28 Tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine? e verissima Hauptii emendatione. Nectine L., Neptunne D., Neptine V., unde factum est barbarum illud Neptunine, quod omnes editiones occupaverat donec expulit Hauptius. Νηρηΐνη pro Νηρηΐις dixit Oppianus Hal. 1, 386.

Thynia 31, 5 vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos-liquisse campos'. Apud Graecos nomen hoc et insulam significat in Ponto Euxino ad oram Bithyniae sitam, de qua Strab. p. 543, 7 (eam Apoll. Rh. 2, 673 vocat Θυιάς) et Bithyniae oram septentrionalem, quo Thyni, Thraciae quidam populus, commigraverant. Hinc Claudianus (in Eutrop. II, 246) ab Achille Statio laudatus: Thyni Thraces erant (leg. arant, vid. Heins.) qua nunc Bithynia fertur. Atque ita et hoc loco accipiendum videtur. Thyni ab ipso Catullo memorantur 25,7 catagraphosque Thynos, ubi vid. intpp.

Zephyritis 66, 57 ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat — Graia Canopieis incola litoribus'. Erat Arsinoe, Ptolemaei Philadelphi Aegypti regis uxor, quam in Zephyrio promunturio Veneris Zephyritidis nomine coluerunt Aegyptii. Testes sunt Steph. B. s. v. *Ζεφύριον· ἔστι καὶ ἄκρα τῆς Αἰγύπτου, ἀφ'ἧς ἡ Ἀφροδίτη καὶ Ἀρσινόη Ζεφυρῖτις, ὡς Καλλίμαχος,* Callimachus ap. Athen. 7. p. 318 (ep. 5, 1 sq.) *κόγχος ἐγώ, Ζεφυρῖτι, παλαίτερος, ἀλλὰ σὺ νῦν με — Κύπρι, Σεληναίης ἄνθεμα πρῶτον ἔχεις κ. τ. λ.* cf. v. 7 sq. *ἔκ τ'ἔπεσον παρὰ θῖνας Ἰουλίδας, ὄφρα γίνωμαι — σοί τε περίσκεπτον παίγνιον, Ἀρσινόη,* Posidippus ap Athen. l. l. (cf. Analecta vett. poett Gr. Brunckii XXI. tom. II. p. 51) *τοῦτο καὶ ἐν πόντῳ καὶ ἐπὶ χθονὶ τῆς φιλαδέλφου — Κύπριδος ἱλάσκεσθ' ἱερὸν Ἀρσινόης* cf. etiam Plin. h. n. 34, 14 (142) 148: Magnete lapide architectus Timochares Alexandriae Arsinoes templum concamarare inchoaverat, ut in eo simulacrum e ferro pendere aere videretur. Intercessit ipsius mors et Ptolemaei regis, qui id sorori suae iusserat fieri.' Vide etiam intpp. ad Catulli locum, inprimis Achillem Statium et Js. Vossium, quibus addenda docta adnotatio in Hertzbergii et Teuffelii interpret. germ. p. 140, ubi ingeniose quidem, sed minus feliciter v. 54 vulgatum illud Chloridos contra Bentleium defenditur verissime reponentem Locridos (elocridicos V).

Appellativa graeca apud solum Catu lum inveniuntur haec:

mnemosynum 12, 13 verumst mnemosynum mei sodalis.' nemo sinum V. Munus quod amici memoriam refricare valeat recte interpretatur Vulpius, qui apte affert illud Vergilii Aen 5, 336 sqq. ‚cratera impressum signis quem Thracius olim — Anchisae genitori in magno munere Cisseus — ferre sui dederat monumentum et pignus amoris' ubi monumentum eandem habet vim. Graeci eodem sensu dicunt *μνημόσυνον* et *μνημόσυνα.*

parthenice 61, 190 alba parthenice velut luteumve papaver'. Quinam intellegendus sit flos prorsus nescitur; id tantum satis probabile est idem valere hoc nomen quod alibi et apud Latinos et apud Graecos

parthenium vel parthenion (παρθένιον) quod tamen ipsum cum tres significet herbas (cf. Plin. h. n. 21, 30 (104) 176. 25, 5 (18) 38, Apul. herb. 11) non multum ex illa coniectura ad Catulli locum explicandum emolumenti redundat. Jungfernkraut interpretatur Billerbeckius in libro qui inscribitur Flora classica p. 245.

His addi potest deminutivum

calathiscus 64, 319 vellera virgati custodibant calathisci'. Idem nomen extat apud Petronium 41, 6 puer speciosus — calathisco uvas circumtulit, ubi videnda Burmanni nota relegantis ad Spanhemii in Callimachum (h. Cer. 1) commentarium. Hesychius s. v. καλαθίσκος· εἶδος ὀρχήσεως (ubi καλαθισμὸς coniecit G. Dindorfius in Thesauro) καὶ σκεῦος γυναικεῖον παρὰ Μενάνδρῳ. Poll. 10, 125: συναπτέον δὲ δὶ ὀλίγων καὶ τὰ λοιπά, οἷον τὰ τῆς γυναικωνίτιδος, ταλάρους καὶ καλάθους καὶ καλαθίσκους καὶ ταλάρια καὶ καλάθια κ. τ. λ. Usus est hoc vocabulo Aristophanes Lys. 535 579. Thesm. 822 (ed. Bergk). — Est igitur virgatus calathiscus corbula e virgis contexta.

Commemorandum est etiam hoc loco adiectivum catagraphus 27, 6 remitte pallium mihi meum quod involasti — Sudariumque Saetabum catagraphosque Thynos, quo eodem usus est Plin. h. n. 35, 8, (34) 56: hic (sc. Cimon Cleonaeus) catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines'. Et Plinii quidem locus facile intellegitur; est enim catagraphus hic idem plane quod Galli dicunt peint de profil; Catulli autem verba maximas interpretum turbas excitabant. Ac primus quidem, quoad scio, mutavit Muretus coniciens catagraphonque linum, quod ipse interpretatur linteum variis figuris notatum et depictum. Atqui minime credibile est, nomen appellativum tritissimum corruptum esse a librariis in nomen proprium haud ita frequens, quo illato satis obscura fieret sententia. Quamobrem improbanda est sine dubio Mureti opinio. Jos. Scaligerus in libro suo invenerat cyrograthosque Thynos, unde suspicatus est legendum esse chirographosque Th., idque etiam Salmasio primum placuit, qui interpretatus est anulos

Thynos signatorios sculpturae Bithynicae. Postea vero sententiam mutavit censuitque scribendum esse cirographosque Th. atque anulos ceram imprimentes intellegendos. Isaacus denique Vossius catagraphonque Thynon exhibuit et exposuit de pugillaribus membranis quae quattuor coloribus tincta fuissent, coccineo, luteo, viridi, purpureo; Bithyniam autem conficiendis eiusmodi pugillaribus aptissimam fuisse, ut quae sola praestaret quidquid ad eorum constructionem esset necessarium, idem doctissime demonstravit. Verum et huius explicatio et illorum coniecturae, ut alia omittam, eodem omnes vitio laborant, quod e latini sermonis indole nomen gentile Thynus etiam adiuncto adiectivo in tali verborum constructione nullo pacto significare potest rem in Thynia vel a Thynis factam, quanquam et e veteribus et e novellis linguis similia quaedam corradi posse ego minime ignoro. Equidem, ut dicam quod sentio, nodum in scirpo quaesivisse viros doctissimos existimo Locus tot medicinis vexatus sanissimus est. Sententiam recte iam perspexit Achilles Statius, qui Thynos in sudario εἰκονικῶς acu pictos fuisse ait citatque Verg. Georg III. (25): purpurea intexti tollant aulaea Britanni. Posse autem adiectivum illud catagraphus id quod Statius voluit denotare, cum eius origo doceat, tum ex adiectivi graeci κατάγραφος usu colligi potest; quod adiectivum itidem duas habet notiones, alteram quae est in Plinii loco supra allato et e graecis scriptoribus apud Hipparchum ad Arati Phaenom. I. 6. p. 180: ἅπαντα γὰρ τὰ ἄστρα ἠστερίσθαι πρὸς τὴν ἡμετέραν θεωρίαν καὶ ὡς ἂν πρὸς ἡμᾶς ἐστραμμένα, εἰ μή τι κατάγραφον αὐτῶν ἐστί, ubi κατάγραφον de obliqua delineatione explicandum verissime Hermannus monuit (opusc. V. 214) contra Js. Vossium, qui ad Catulli locum interpretatus est coloribus pictum; alteram, quae proxime accedit ad adiectivi κατάγραπτος usum, de qua idem Hermannus optime disputavit p. 214 sq., cuius ipsa verba apponam: nam cum ipsum, inquit hoc, vocabulum (sc. κατάγραφος) tum quae de Cimone illo porro praedicat Plinius, designationem dici ostendunt qua non solum extremae figurarum li-

neae, sicut umbrarum, sed interiora quoque lineamenta scribuntur. Verbo ita usus Pausanias I. 28, 2 de statua Minervae *καὶ οἱ ἐπὶ τῆς ἀσπίδος Λαπιθῶν πρὸς Κενταύρους μάχην καὶ ὅσα ἄλλα ἐστὶν ἐπειργασμένα λέγουσι τορεῦσαι Μῦν, τῷ δὲ Μυῖ ταῦτά τε καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἔργων Παῤῥάσιον καταγράψαι τὸν Εὐήνορος.* Hinc *κατάγραφος* omnino dicitur lineamentis notatus atque distinctus, ut apud Athenaeum IX 387 F (*Ἀλέξανδρος δ' ὁ Μύνδιός φησιν ὅτι μικρῷ μὲν μείζων ἐστὶ* (sc. *ὁ ἀτταγᾶς*) *πέρδικος, ὅλος δὲ κατάγραφος τὰ περὶ τὸ νῶτον*) et Lucianum Alex. 12 (*κεφαλὴ δράκοντος ἀνθρωπομορφόν τι ἐπιφαίνουσα, κατάγραφος*)'. Non temptanda igitur omnium librorum lectio, quam eandem recte retinuerunt omnes qui recentiore aetate Catulli carmina ediderunt. Atque haec de Graecis. —

II. Latina.

I. Nomina.

Latina enumerans vocabula primo loco ponam duo, quae cum non possint ultro intellegi non dubium est quin aliunde sumpserit Catullus, non ipse finxerit. Sunt autem haec:

ploxenum 97, 6 ‚gingivas vero ploxeni habet veteris.' Laudant hunc versum Quint. I, 5, 8 unum (barbarismum) gente (accipimus) quale fit si quis Afrum vel Hispanum Latinae orationi nomen inserat — sicut Catullus ploxenum circa Padum invenit, ubi nihil varietatis notavit Halmius, et Festus p. 239. b. ploxinum appellari ait Catullus capsum in cisio, capsave † cum dixit: gingivas vero ploxini habet veteris, ubi omnes codd. Muellero teste habent illud ploxinum. — De origine et notione huius vocabuli multum litigabant interpretes. Et Mureti quidem interpretatio haec est: transpadanum vocabulum. Eo significabant capsam [i. e. partem rhedae ubi qui vectantur sedent]. Porro oportuit ea latitudine esse gingivas, in quibus sesquipedales dentes insiderent. Utrunque ridiculi causa *ὑπερβολικῶς*

dictum'. Achilles quoque Statius acquiescendum sibi putavit in Quintiliani Festique interpretatione. Alii de verbo graeco πλέκω cogitabant, quia scilicet e vimine plerumque contexta esset capsa, eamque opinionem nostra aetate suam fecit Doederlinus (Syn. et Etym. VI. p. 273) qui e graeco πλόκανον deduceret illud vocabulum. His omnibus suam opposuit Js. Vossius sententiam, quovis pignore contendens, celticam vel germanicam esse hanc vocem neque aliud significare nisi aratrum. Quin etiam comparavit illa quae sunt apud Batavos plog, plaug, plauwen (apud Germanos pflug) attulitque Plinii locum (XVIII, 18 (48) 172) ubi vomera rotulis instructa vocantur plaumorata. Ego cum neque novi quicquam afferre possim neque vero Vossii et si qui eum secuti sunt probare temeritatem unice veram esse existimo Mureti Statiique rationem, qui in obscurissima re veterum testimonia sequi quam indulgere coniecturis malebant.

salaputium 53, 5 di magni salaputium disertum'. Citatur hic locus a Seneca contr. VII, (III) 19 p. 211 Burs. erat enim (Calvus) parvulus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum ‚salaputium disertum' (salaputtium ex libro Bruxellensi Bursian; salaputium, saliputium, saluputium alii libri Senecae). Catulli codices habent salapucium vel salapatium nisi quod optimus liber salapantium. In qua librorum lectione adeo desudabant interpretes aut emendanda aut explicanda, vix ut alium Catulli locum invenias eodem modo vexatum. Et primus quidem mutavit Paulus Manutius, qui salicippium coniecit, comparans Senecae locum, cuius finem supra attulimus: idem (Calvus) postea cum videret a clientibus Catonis rei sui Pollionem Asinium circumventum in sorite, imponi se supra cippum iussit. Erat enim parvulus statura e. q. s Atque eam coniecturam certatim probavere homines docti. Muretus laudatis Senecae verbis ‚ait igitur, inquit, Catullus valde risisse se, quod cum Calvus mira orationis vehementia in Vatinium dixisset, quidam e corona admiratus in tantulo corpusculo

tantam eloquentiae vim latere, sublatis manibus, di magni, dixerit, salicippium disertum, respiciens videlicet ad id quod paulo ante narravimus. Ridendi autem occasionem cepit poeta ex eleganti novitate vocis, quam ille quisquis fuit, a saliendo in cippum urbane admodum venusteque confinxerat'. Simile tulit iudicium Achilles Statius, qui in eandem coniecturam incidisse narrat Honoratum Joannium. At optime quid conveniret huic loco perspexit Jos. Scaligerus, qui expulsa Manutii coniectura librorum lectionem reduxit. Idem interpretationem proposuit (ad Verg. Catal. 9, 2 p. 509 sqq. cf. ad Cat. p. 56) qua nemo adhuc excogitavit meliorem. Deducit enim vocabulum a Graecorum voce πόσθων, qua pueros iocose appellari solitos satis constat (cf. Aristophanis pac. 1306) et salacitatis nomine aitque ὑποκόρισμα esse illud nutricum quo appellaverint pusiones. Nec male affert illa quae apud Suetonium extant, Horatium ab Augusto inter alios iocos saepe penem purissimum et homuncionem lepidissimum esse appellatum. ‚Non igitur mirum, inquit, si Catullus, quem exiguum voluit vocare, eum salaputii nomine insigniat more nutricum salse nimis et nequiter, quasi nondum ἀδρὸς sed παιδάριον esset. Non enim (pace doctissimorum virorum dixerim) salicippium neque καλαβώτιον (nam hoc quoque obtrusum fuerat Catullo), sed salaputium, ut habent cetera exemplaria, legendum. Quanquam salicippium esset, ut Crucisalus Plauto Bacchidibus (2, 3, 128). Sed quia multis eruditis viris extorqueri non potest, quin Catullus alluserit in cippum quem ascenderat Calvus, non in brevem eius modulum corporis: audi verba Senecae: erat parvulus statura: propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat eum salaputium disertum. Vides mullam allusionem in cippum'. Atque haec Scaliger. Equidem ut etymologiam a viro summo propositam, quam totam fere deinde repetivit Doederlinus (Synon. et Etym. VI, 314) haud sane certam arbitror, ita eiusdem interpretationem comprobare non dubito. Quapropter eorum ineptias qui spretis Scaligeri verbis emendando, si dis placet, tollere huius ver-

sus difficultatem conabantur, percensere accuratius nolo; illud commemorare satis habeo, Vossium solita infelicitate coniecisse salapittium (vid. ipsius observ. 118 sq.), Salmasium exercit. Plin. I, 506 salopugium. Vulpius ne lecto quidem, ut videtur, Scaligeri commentario Manutii coniecturam retinuit.

Jam ad ea substantiva transeo, quae a Catullo aut ficta sunt aut certe ficta esse possunt. Quorum primo loco ponam deminutiva, altero substantiva verbalia in — tio et — tor exeuntia, tertio reliqua.

Ac deminutiva quidem apud solum Catullum et infimae aetatis scriptores semel bisve occurrunt haec:

brachiolum 61, 177 mitte brachiolum teres'. Idem nomen musculum quendam significabat in corpore equino. Veget. veterin. 1, 25, 4: quibus autem pulmo est in causa vel iecur, vel cetera, quae his vicina sunt membris, de pectore minuendus est (sc. sanguis) ex venis, quae posita sunt in dextra ac sinistra, ubi brachiola coniunguntur et flexura fit, cum armus plicatur'. Tertiam notionem habes in vulgata (II. chron. 9, 18) brachiola duo altrinsecus (sc. solii) et duos leones stantes iuxta brachiola, ubi solii pars ea, qua nituntur brachia (Lehnen) intellegenda est.

femella 55, 7 femellas omnes, amice, prendi'.

medullula 25, 2 mollior — vel anseris medullula vel imula oricilla'. medulla V. Ad sententiam recte interpretes comparaverunt illud in Priapeis 64, 1 quidam mollior anseris medulla — furatum venit huc amore poenae.'

ib. oricilla quod Scaligerus restituit pro Veron. scriptura moricilla, in eorum est numero habendum, quorum duplicata est deminutio, quae collegit Luc. Muellerus in ind. gramm. p. 130. Est enim deducenda haec vox a forma deminuta auricula. Ceterum cf. Fest. p. 185, 15 s. v. orata. orata genus piscis appellatur a colore auri, quod rustici oram dicebant, ut auriculas oriculas'. Ad sententiam cf. Cic. ad Q. fr. II, 13, 4 (ed. Klotz) et esse et fore (me) oricula infima

Trogus habet ap. Plin. h. n. 11, 52 (114) 276: oricularum magnitudo loquacitatis et stultitiae nota est. —

salillum 23, 19 quod culus tibi purior salillost'. Forma deminuta est nominis salinum. Eandem habent Vetus Decuritatus Vaticanus (D) in versu corrupto Plauti Trin. 492 ed. Ritschl. (II, 4, 91) verum nos homunculi — salillum animai'. ubi satillum A. Ritschelius valde dubitanter (quando aliquid tamen ponendum erat, ut ipse ait) sitellum coll. Labbaei glossa p. 94 ed. Par. κάδιον, sitella, sitellum'. scintilla vel scintillula Fritzschius. — Quantum ad sententiam, videnda Doeringii adnotatio: purior salillo. mira quadam puritate salem tractare solebant veteres et prae ceteris vasis praecipue salinis nitorem et splendorem conciliare. Vide quae in hanc rem collegit Meursius ad Lycophr. v. 135 ubi sal ἁγνίτης πάγος vocatur'. Cf. Horatii locum iam ab Achille Statio comparatum (c. 2, 16, 14) vivitur parco bene cui paternum — splendet in mensa tenui salinum, ibique intpp.

scortillum 10, 3 scortillum ut mihi tum repente visumst — non sane inlepidum neque invenustum'. Glossae: scortulum πόρνη, quare aut hic quoque scribendum est scortillum — nam illud scortulum alias non reperitur — aut certe vox Catulliana iis duplicatae deminutionis addenda exemplis, quae collegit Muellerus in indice. Atque hoc verius puto. —

sicula (sica) 67, 21 languidior tenera cui pendens sicula beta e. q. s'. Statius notavit haec: languidior tenera cui pendens sicula beta. Simili usus tralatione Nicander (al. 409 cf. etiam Anthol. 5, 129) κορύνην mentulam dixit. Et rutabulum eodem modo veteres dixerunt. Festus: rutabulum, a promendo igne vocatum, quo panes coquuntur, invenitur etiam positum pro membro virili.— Videtur in animo habuisse hunc Festi locum p. 262: rutabulum est, quo rustici in promendo igne panis coquendi gratia utuntur. . . . Naevius (127 Ribb.) obscenam viri partem describens: vel quae sperat sese nupturam viros adulescentulos — ea licet senile tractet retritum

rutabulum, ubi vid. Klussmann. — At Is. Vossius substituere volebat succula pro sicula, cuius si vacat vide disputationem observ. p. 275.

solaciolum 2, 7 carum nescioquid libet iocari — ut solaciolum sui doloris'.

suaviolum 99, 2: suaviolum dulci dulcius ambrosia cf. ib. 14 suaviolum tristi tristius elleboro'. basiolum est ap. Petr. 85, 6. Apul. met. 10, 21. — Ad sententiam apposite laudavit Statius illud Callicteris epigramma (anthol. tom. III. p. 8. Jacobs.) ἡδὺ το βινεῖν ἐστι, τίς οὐ λέγει; ἀλλ' ὅταν αἰτῇ — χαλκόν, πικρότερον γίνεται ἐλλεβόρου, ubi Jacobsius citat hunc ipsum Catulli versum.

His addenda duo quae etsi a graecis nominibus deducta sunt vulgo tamen recepta fuisse satis probabile est:

epistolium 68, 2 conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium'. Gloss. Labb. (Thes. ed. Valpy. IX p. 79) ἐπιστόλιον epistolium.

zonula 61, 53 tibi virgines — zonula soluunt sinus'. Eadem forma usus est Alexander Severus ap. Lamprid. Al. Sev. 52 § 3: miles non timet nisi vestitus armatus calciatus et satur et habens aliquid in zonula, et Serenus ap. Non. 539,19 (629 Quich.) s. v. rica: Seren. opusculo lib. I. aut zonula (— am editt.) aut acum aut ricam. L. Muellerus in append ad Rutil. Namat. (p. 47) aut zonulam aut ricam aut acum.

Non incommode etiam memorari hoc loco putabam substantivum, quod praeter Catullum et Arnobium semel invenitur apud argenteae quae dicitur aetatis scriptorem:

pupulus 56, 5 deprendi modo pupulum puellae — trusantem'. Forma deminutiva est substantivi pupus. Glossae: pupus: βρέφος, ναΐον, παιδισκάριον c. κόρη ὀφθαλμοῦ. Atque illius notionis exemplum habes ap. Varr. Men. 88, 3 cf. Suet. Cal. 13. huius ap. Paul. Nol. carm. 20, 179. Ab eo nomine deducta sunt deminutiva pupulus et pupula. Et masculina quidem forma praeter illum Catulli locum eodem sensu invenitur Sen. ep. 12, 3 pupulus etiam delicium meum factus est? alio ap. Arnob. adv. gent. 7, 8 atque ut parvuli pusiones passerculos,

pupulos, equuleos accipiunt, ubi haec Stewechius: pupus et pupa pro pusionibus, puerulis et puellulis nota. Varro lib. VI (VII, 3, 28) pusam vocat. Ab his pupulus et pupula eadem ratione deminuta sunt Catullo, Apuleio et aliis. Ea nomina antiquitus etiam εἰκόνια sigillaria seu imagiunculas, quae hodieque in usu nutricibus ac pueris, designabant: a quibus etiamnum nostrate idiomate denominantur Puppen; de quibus est Persianum illud sat. II (70) Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae. Scribendum itaque duobus vel unico p si lubet. Varro Aborig. (fr. 4 Non. s. v. pupae p. 156.) magna pars in desiderium puparum et sigillorum veniebat'. Femininae formae exempla extant in inscript. ap. Orell. 3031 a pupula (ut vulgo a puero); ὑποκοριστικῶς mea pupula Apul. met. 6, 16; ea signif. qua alii pupilla ap. Cic. de nat. d. 2, 57, 142 ubi antea legebatur pupilla et saepius apud Apuleium, cui ubique hanc formam vindicavit Hildebrandus. Vide ipsum ad 3, 22 (139). Translative pro oculo ipso Hor, Apul. — Semel vero scribendum esse litteram p. non semel bisve ut putabat Stewechius vel librorum mss. in omnibus scriptoribus consensus testatur.

Substantiva verbalia in — tio excurrentia apud solum Catullum inveniuntur haec:

argutatio 6, 11 tremulique quassa lecti — argutatio inambulatioque'. Achilles Statius: illa ut dicam lecti garrulitas Fest. Pomp. (p. 368) in verbo tacitus: tacitus, inquit, etiam argutus, quia potest aliquando tacere. Sic alibi (68, 72) idem Cat. argutam soleam dixit crepitantem. Nisi qui brevem malit intelligere. Cratinus ap. Hephaestionem (p. 84) hanc dicere videtur ἰκρίων ψόφησιν, eius enim versum illum ponit, εὐδαίμον' ἔτικτε σε μήτηρ ἰκρίων ψόφησις. Ovid. in III. amor. (14, 26) similiter: spondaque lasciva mobilitate tremat'. Et Cratini quidem verba quomodo intellegenda essent demonstravit Bergkius comment. de Att. comed. p. 9 sq, qui ἴκρια ipsius theatri sedes esse, antiqua appellatione in communi sermone revocata, totum illud ἰκρίων ψόφησιν spe-

ctatorum significare applausum optime monuit (cf. Meinek. Com. gr. 2, 1. p. 194); id vero recte Statius quod argutationem de crepitu lecti saepe concussi interpretatur Neque Doeringius quicquam attulit ad Statii opinionem confutandam; qui quod illud argutatio eodem fere sensu positum esse ait quo inambulatio comparato Titinii fragm. ap. Non. s. v. argutari p. 245 (Quich. 270) non hercle vidit eum ipsum locum confirmare potius Statii et qui eum secuti sunt interpretationem. Verba Titinii corupte scripta sunt in codd. in hunc modum: terra haec est, nova qua, ubi tu solitus argutari pedibus, cretam dum compescis vestimentaque levas, quae cum multi in emendandis iis frustra operam posuissent, emendavit Lachmannus in Lucr. 379 (ad 6, 552) terra haec est, non aqüa, ubi es tu solitus argutarier — pedibus, cretam dum compercis, vestimenta qui laves, quam coniecturam Ribbeckius quoque (com. lat. fr. 118) recepit, nisi quod is recte scripsit — ubi tu solitu's argutarier, et in altero versu compescis, et Ribbeckii scripturam Quicheratus quoque exhibuit posita tamen ante vocem terra particula at. Quae Titinii verba etsi a quo aut ad quem aut in quanam sententiarum condicione dicta fuerint non possumus divinando assequi, satis tamen clare ostendunt illud, argutari pedibus nihil aliud significare quam calcando efficere sonitum, qui longe lateque exaudiri queat. Ernestii ad Tacit. ann. 11, 28 notam, ad quam delegat Doeringius, legere non potui.

) inrumatio 18, 9 tangam te prior inrumatione' ubi irruminatione V.

neque praetermittendum videtur illud

fututio 32, 7 paresque nobis — novem continuas fututiones' qua voce etiam Martialis usus est I, 106, 6 certae nequitias fututionis'.

His addenda duo in — tor desinentia:

coniugator 61, 45 boni — coniugator Amoris'. — iugator extat apud Arnobium 5, 25 boum iugator Triptolemus; subiugator ap. Apul. de dogm. Platon. 2, 7 230) qui est suffragator bonorum et malorum subiugator.

inrumator 10, 12 praesertim quibus esset inrumator — praetor'. Achilles Statius: praesertim quibus esset inrumator — qui praetorem haberent libidinosum ac luxu perditum. Quod contra Scaligerus: foedum, inquit, verbum quo praetorem hic apellat, non prima sua notione accipiendum est. Sed ita vocabant homines infestos, ut contra spurci eadem tralatione dicebantur homines nulli rei. Quod dixi ne quis aliquid foedi sub ea apellatione enunciari putet. Glossae: spurcus ἀχρεῖος et apud Lucillium spurco ore non est id quod explicare non sinit me pudor meus. Lucillius (ap. Non. p. 394) praetor noster adhuc quam spurco est ore quod omnes — extra castra ut stercus foras eiecit ad unum'. — At enim si praetor erat homo nequam, admodum credibile est non pili eum fecisse cohortem, quippe qui nihil aliud nisi ut expleret libidines suas cogitaret. Huc accedit quod ipsa vocabuli huius significatio non sinit aliter explicari Catulli verba quam explicavit Statius. Quapropter non probo Scaligeri interpretationem, etsi eam repetit ad 28, 7. — Eandem vocem habet Firm. Mat. 8, 20: sexta pars Tauri si in horoscopo fuerit inventa, exoletos facit et ad omne impuritatis vitium adplicatos, inrumatores, cinaedos, et quos gravis semper pulset infamia.

Reliqua substantiva haec sunt

acina 27, 4 ut lex Postumiae iubet magistrae — ebriosa acina ebriosioris'. Citat hunc locum Gellius VI, 20, 6 cuius haec sunt verba emendata illa ab Hauptio ind. lect. berol. aest. 1857 p. 4. Catullus quoque elegantissimus poetarum in hisce versibus ‚minister vetuli puer Falerni — Ebria (ebriosa libri) acina ebriosioris' cum dicere ‚ebrio' (ebrioso libri) posset et quod erat usitatius acinum in neutro genere appellare, amans tamen hiatus illius homerici suavitatem ‚ebriam' (ebriosam libri) dixit propter insequentis a litterae concentum. Qui ‚ebriosa' (ebrios libri) autem Catullum dixisse putant aut ‚ebrioso' (ebriosos libri) — nam id quoque temere scriptum invenitur — in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos

inciderunt'. Schwabius allato Gellii loco recte: alia igitur, inquit, Catulli exemplaria temporibus Gellii hoc loco ebria acina, quod ipsi Gellio placebat, alia ebrioso acino, alia denique, id quod re vera Catullus scripsit, ebriosa acina habebant. — Sententiam perspexit Statius, qui ebriosam acinam dici ab effectu putat, quod ea, id est, vinum ipsum ebrios faciat, comparatque Tib. I (6, 28) qui sobria dixit pocula, quibus aquae multum esset admixtum — at ipse bibebam — sobria supposita pocula victor aqua. — Vide etiam Hand. ad. Gron. diatr. in Statii silv. c. XIII. p. 132, qui eodem modo quo Statius hanc similesque locutiones interpretatur.

amarities 68, 18 non est dea nescia nostri — quae dulcem curis miscet amaritiem'. Vulgo dicebant amaritudo. Extant omnino apud priscae pariter atque apud infimae latinitatis auctores nomina in — ities exeuntia non pauca, quae alia terminantur syllaba apud scriptores Augusteae aetatis Exempla pauca afferam. Forma ea quae est avaritia utebantur scriptores optimi; avarities dixere Lucretius et Claudianus. Crassitudo legitur apud Ciceronem alios; crassities dixit Apuleius. Pinguitudo vulgo receptum erat; pinguities probavit idem Apuleius. — Sententiam exemplis illustravit Statius, ut Sapph. ap. Hephaest (42. fr. 40 Bergk.) *Ἔρως δηὖτέ* (scr. *δαὖτέ*) *μ' ὁ λυσιμέλης δόνει — γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον,* Musae (v. 166) *ἤδη καὶ γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων,* Cic. ad. Att. 5, 21, 4 in his *γλυκύπικρον* illud confirmas moram mihi nullam fore; Plaut. Pseud. (I. 1, 63) sino: nam mihi videor cum ea fabularier. Lege: dulce amarumque una nunc misces mihi. Adde Meleagr. epigr. 76, 3 (anthol. I, 23. Jac.) *τὸ γλυκύπικρον ἔρωτος ἔχων βέλος,* Posidipp. 11, 4 (anth. II, 49) *μέλοι δ' ἡμῖν ὁ γλυκύπικρος Ἔρως,* ubi non immemor fuit huius Catulliani versus Jacobsius, inter alia exempla apte afferens illud Anacr. Od. XLV, 5 *ἀκίδας δ' ἔβαπτε Κύπρις — μέλι τὸ γλυκὺ λαβοῦσα — ὁ δ' Ἔρως χολὴν ἔμισγε.* Cf. etiam Doering ad Catull. 64, 95 sancte puer curis hominum qui gaudia misces.

anilitas 61, 158 usque dum tremulum movens — cana tempus anilitas — omnia omnibus adnuit'. Anilis etas V. Eodem modo formata sunt nomina haec: iuvenilitas ap. Varr. (Non. p. 123. cf. 433) puerilitas Varr. (Non. 494.) virilitas ap. auct. belli Al. et scriptt. argent. aet. — Sententiam recte explicavit Muretus: iucunde exprimit naturam senum; in quibus caloris naturalis inopia imbecillitas tremorem efficit, ita ut caput perpetuo motitantes omnia omnibus annuere videantur.

infacetiae 36, 19 pleni ruris et infacetiarum — annales Volusi, cacata charta'. Comparavit Statius Horat. (ep. 2, 1, 160) manserunt hodieque manent vestigia ruris'.

peditum 54, 3 subtile et leve peditum Libonis'. Glossae: peditum (et peditus) πορδή. Ceterum vid. Scaliger. et Vulp. ad h. l.

sepulcretum 59, 2 uxor Meneni, saepe quam in sepulcretis — vidistis ipso rapere de rogo cenam'. Locum denotat sepulturae destinatum eodemque modo formatum est quo illa bucetum olivetum palmetum pinetum alia. — Busticetum dixit Arnob. 1, 41, ubi vid. Orell., 7, 15.

His addi potest

caprimulgus 22, 10 bellus ille et urbanus — Suffenus unus caprimulgus aut fossor — rursus videtur'. Idem vocabulum nomen est avis cuiusdam Plin. 10, 56, 115 caprimulgi appellantur grandioris merulae adspectu fures nocturni. — intrant pastorum stabula caprarumque uberibus advolant suctum propter lactis e. q. s.' — Glossae: caprimulgi: αἰγοθῆλαι. Atque αἰγοθήλας audit ea ipsa avis Aeliano (h. a. 3, 39). — Ad formam Statius comparavit illud Callimachi (h. Dian. 252) ἐπὶ δὲ στρατὸν Ἱππημολγῶν — ἤγαγε Κιμμερίων (cf. Hes. fr. 190 Goettl.), ad sententiam Vulpius Pers. (V, 122) haec miscere nefas, nec, cum sis cetera fossor, — tres tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli.

2. adiectiva.

Adiectivorum primo quidem loco enumerabo deminutiva, secundo composita, tertio denominativa, quarto si qua restant alia.

Et de adiectivorum formis deminutis quae occurrunt apud Catullum, iam Hauptius dixit obs. critt. p. 14, qui omnia exempla diligenter collegit cf. etiam L. Muell. ind. gr. 130 de re metr. 36 [add. Heussner observ. p. 38 sq.]. — Iam singularia extant apud Catullum haec:

eruditulus 57, 7 gemelli utrique — uno in lectulo, erudituli ambo'. Vulgatam distinctionem post illud lectulo delevit Meleager et significari putat proverbium uno in lectulo edocti, ita ut ambo in omnibus sibi plane similes et in eodem quasi lectulo improbitatis nequiter instructi intel egantur. Eadem Vulpii sententia, qui illud erudituli referendum esse censet ad scientiam flagitiorum, quam ad amussim uterque calluerit coll. Petronii (140) verbis: nec se reiciebat a blanditiis doctissimus puer, ubi doctissimus idem sit quod omni nequitia imbutus. — Ego vero cum Rossbachio illa quae sunt ‚gemelli utrique — uno in lectulo' coniungenda esse aio, cum alioquin perquam incommode notio generalis — gemelli utrique (cf. Hor. ep. 1, 10, 3) — posita esset inter notiones speciales — morbosi pariter — erudituli ambo — vorax adulter — rivales sociei; verba autem gemelli — lectulo de turpi consuetudine interpretanda quam cum Mamurra Caesar habebat. Iam illo 'erudituli' haud obscure significat atque proscindit elegantem illam eruditionem quam tunc temporis iactare solebant homines ingeniose nequam. Et similis Doeringii quoque sententia videtur. Hominum doctorum coniecturas videre est ap. Schwabium, qui secutus ipse est Meleagri interpunctionem.

floridnlus 61, 189 uxor in thalamo tibist — ore floridulo nitens'. Similiter supra (v. 57) floridam ipse puellulam — dedis a gremio suae — matris. Ovid. Met.

13, 790: candidior folio nivei, Galatea, ligustri — floridior pratis. Prud. peristeph. 10, 192 mox flevit impuratus occisum gravi — disco et dicavit florulentum succubam. cf. etiam Cat. 64, 252 florens Iacchus. Muretus comparavit Graecorum ἀνθηρά, ἀκμάζουσα

imulus 25, 2 mollior — vel anseris medullula vel imula oricilla'. Eodem modo formatum est illud bimulus 17, 13 nec sapit pueri instar — bimuli tremula patris dormientis in ulna. Atque adiectivum imulus nusquam alias invenitur; id quod est bimulus etiam Suetonius habet Calig. 8: abunde parere arbitror non potuisse ibi nasci Gaium, quo prope bimulus demum perductus ab urbe sit. —

lacteolus 55, 17 num te lacteolae tenent puellae? Lacteolus de candore dictum, ut lacteus Hor. carm. I, 13, 2 lactea Telephi laudas brachia, ubi illud ‚lactea' Bentleius optime e Capri verbis (p. 2242 P) restituit pro inepta librorum lectione ‚cerea'. Vid. ipsius notam, ubi comparantur Verg. Aen. 10, 137 fusos cervix cui lactea crines — accipit, Nemes. 9, 80 purpureas laudando genas et lactea colla. Similiter Venant. carm. 8, 12, 12 aureus ordo crocis violis, hinc blatteus exit — coccinus hinc rubicat, lacteus inde nivet, idemque 8, 1, 27 regia lactineo commutans pallia cultu. Peerlkampus qui eandem quam Bentleius in Horatio probat lectionem adiri iubet intpp. ad Sil. 12, 45. — Ceterum legitur adiectivum lacteolus simili sensu Auson. ep. 7, 46 quae (sc. testa) ferventis aquae fota vaporibus — carnem lacteoli visceris indicat; de agnis lactantibus Prud. perist. 11, 245 sic cum lacteolis caulas compleveris agnis cf. 3, 165 spiritus hic erat Eulaliae — lacteolus celer innocuus, quode cf. Barth. Advers. VI, 28 ab Dresselio ad Prud. l. l. citatus: quod ab omni labe alienum atque remotum est, tam ad animum quam ad corporis pulcritudinem venustum, lacteum Latini vocant.

lassulus 63, 35 itaque ut domum Cybebes tetigere lassulae — somnum capiunt'.

mollicellus 25, 10 ne lanceum latusculum manusque mollicellas — inusta turpiter tibi flagella conscribillent'. Duplicata deminutio; est enim deducendum hoc adiectivum a deminutivo molliculus, quod extat ap. Catull. 16, 4. Plaut. Cas. 2, 8, 55 (383) Poen. I, 2, 154 (236) Charis. 183 P. (198, 19 Keil.).

pallidulus 65, 6 pallidulum manans alluit unda pedem'. Eodem adiectivo usus est Hadrianus ap. Spart. Hadr. 25 quae (animula) nunc abibis in loca — pallidula, rigida, nudula.

perlucidulus 69, 4 non si illam rarae labefactes munere vestis — aut perluciduli deliciis lapidis'. — Exemplum adiectivi deminutivi cum partic. ‚per' compositi praeter hoc non extat certum; nam Cic. de orat. 2, 35, 150 aliquot codd. in his Turicensis habent perpaulum idque receptum a Klotzio et Kaysero. Nisi forte illud peradulescentulus (Nep. Eum. 1, 4) huc trahere velis, in quo ego non repugno.

turgidulus 3, 18 tua nunc opera meae puellae — flendo turgiduli rubent ocelli'. Eandem vocem habet Paulin. Petr. 5, 450 de iam turgidulis numerabat damna racemis. Ad sententiam comparavere intpp. Tibull. (I, 8, 68) et tua iam fletu lumina fessa tument. Propert. I (21, 3) qui nostro gemitu turgentia lumina torques.

uvidulus 66, 63 uvidulam a fletu cedentem ad templa deum me'. Viridulum a fluctu V Coniecturas fere innumeras quibus hunc versum temptabant homines docti vide sis ap. Schwabium. Ego eam lectionem quam supra exhibui et quam recte iam Muretus explicavit omnino retinendam esse censeo idemque censuerunt novissimi editores Schwabius et Muellerus.

His addi possunt

febriculosus 6, 4 verum nescioquid febriculosi — scorti diligis'. Videtur hoc adiectivum idem hic significare quod apud Vegetium febricosus, scilicet febriens, febri laborans. Alio sensu legitur hoc vocabulum ap. Gell. 20, 1, 27 nam morbus in ista lege non febriculosus neque nimium gravis, ubi est febri comitatus, febri

coniunctus. Active positum est adiectivum hoc Front. de or. 1 confusam eam ego eloquentiam — partim igneis nucibus Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam, subvertendam censeo radicitus. Atque haec significatio nescio an Catulli quoque loco apta sit, ut intellegatur scortum, quod sive corporis deformitate sive morum rusticitate (et hoc notari videtur V. 2) febrem possit incutere.

frigidulus 64, 131 frigidulos udo singultus ore cientem, quo eodem adiectivo usus est Catulli simia, scriptor Ciris 251 frigidulam iniecta circumdat veste puellam ib. 348 super morientis alumnae — frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.

Enumerabo iam composita,[1]) in quibus formandis aut substantiva et adiectiva inter se aut cum verbis componuntur aut verba cum particulis. Sunt autem haec:

buxifer 4, 13 Amastri Pontica et Cytore buxifer'. Cytorum Paphlagoniae montem buxo abundasse testes sunt Verg. Georg. 2, 437 et iuvat undantem buxo spectare Cytorum; Vib. Sequ. de mont. p. 28 ed. Oberl. Cytorus in Ponto Paphlagoniae buxo potens, ubi vid. ap. Oberlinum quae multa collegere intpp.

coniger 64, 106 conigeram sudanti cortice pinum'. corniger V. conifer dixit Verg. Aen. 3, 680 aeriae quercus aut coniferae cyparissi; idque Catulli quoque loco restituere voluit Fea in praef. ad Hor.

ederiger 63, 23 ubi capita Maenades vi iaciunt ederigerae' ei derigere V. Eodem vel simili sensu ‚ederatus' dixere Calp. 10, 28 (frons) Paul. Nol. carm. 26, 278 (pompae) Tert. cor. mil. 7 (Liberum).

erifuga 63, 51 ego quam (sc. patriam) miser relinquens, dominos ut erifugae — famuli solent'.

---

[1]) C. Lehmanni dissertationem ‚de adiectivis compositis apud Catullum, Tibullum, Propertium, Vergilium, Ovidium, Horatium occurentibus. Regim. Pr. 1867' non vidi.

falsiparens 68, 112 quod quondam caesis montis fodisse medullis — audit falsiparens Amphithryoniades. Callim. h. Cer. 99 ψευδοπάτωρ. Fabula nota.

fluentisonus 64, 52 namque fluentisono prospectans litore Diae — Thesea cedentem celeri cum classe tuetur'. — Omnino valde amabant poetae latini adiectiva cum eo quod est sono composita. Notavi haec: aerisonus Val. Fl., Stat., Sil., Claud., altisonus Enn., Cic. po. Juven., armisonus Verg. al., clarisonus Catull. (64, 125. 320), Cic. Arat. (280), dulcisonus Sidon. Cassiod. in psalt., fluctisonus Sil., Sen. po., horrisonus Verg., Cic. po., multisonus Mart., Stat., raucisonus Catull. (64, 263), Lucr. (5, 1082), suavisonus Att. tr., Naev. tr., terrisonus Claud., undisonus Prop. al.

iustificus 64, 406 iustificam nobis mentem avertere deorum'.

lasarpicifer 7, 4 quam magnus numerus Libyssae arenae — lasarpiciferis iacet Cyrenis'. De lasarpicio, cuius fertilissima erat Cyrenaica cf. Plin. h. n. 19, 38 sq. Salm. ad Solin. p. 249. Lister. ad Apic 7, 1 p. 185. Hemsterh. ad Poll IX 60 p. 1026—28. Vocatur nunc ea planta ab aliis ferula tingitana, ab aliis thapsia gummifera. Sucus lasarpicio expressus appellabatur lasar. Glossae: lasar ὀπός; laser ὀπός, λασάριον, ὀπὸς σιλφίου. — De formis lasar (—picium) et laser (— picium) vid. Jan. ad Plin. vol. III. p. 91, 32. lasar habet etiam Apic. 8, 7 § 379 ed. Schuch.

multivolus 68, 128 nec tantum niveo gavisast ulla columbo — compar, quae multo dicitur improbius — oscula mordaci semper decerpere rostro — quam quae praecipue multivolast mulier'. Glossae: multivolus πολύβουλος, in qua interpretatione alio scilicet sensu accipiendum est illud πολύβουλος, quam quo Homerus Ἀθήνην dixit πολύβουλον (l. 5, 260. Od. 16, 282) vel Pindarus γνώμαν (Isthm. 4, 90. ed. Momms.). — Ceterum extat haec vox etiam in vulg. eccl. 9, 3 ne respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius.

nemorivagus 63, 72 ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus'. Lucretius ab Achille Statio comparatus dixit lib 2 (597) et pabula laeta — montivago generi possit praebere ferarum. Eiusdem formationis sunt multivagus, noctivagus, omnivagus, pontivagus, remivagus, solivagus, volgivagus.

Nysigena 64, 252 at parte ex alia florens volitabat Iacchus — cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis'. Res nota.

omnivolus 68, 140 noscens omnivoli plurima furta Jovis'. Appetentis quidquid est formosarum puellarum recte interpretatur Doering.

pinnipes 55, 25 non Ladas ego pinnipesve Perseus'. Pinnipes scripsere Lachmannus eumque secuti novissimi editores Hauptius Rossbachius Schwabius Muellerus ex V. qui habet primipesve; pennipes D. Cur Perseus dicatur pinnipes sciunt pueri. —

Eandem et formationem et significationem habet

plumipes 55, 27 adde huc plumipedes volatilesque'. V plumipedas, quod in ipsa scriptoris verba recipere veriti non sunt Silligius Heysius Schwabius. Ceteri recte probaverunt reliquorum codd. scripturam, quam ego quoque secutus sum. Neque enim scriptori optimo convenire puto terminationem graecam in voce latina. — De Calai et Zethe haec verba interpretatus est Muretus cuius plerique sententiam amplectebantur. Vide Ach. Statii Vulpii Doeringii commentt.

properipes 63, 24 rapidae ducem sequuntur Gallae properipedem'. Ita ex librorum lectione ‚propere pedem' restituere Balth. Venator et Is Vossius, cum vulgo perperam legeretur pede propero, recteque Doeringius, qui tamen in contextu vulgatam lectionem exhibet, observat amare poetam in hoc carmine eiusmodi composita. cf. v. 23 ederiger v. 41 sonipes v. 51 erifuga v. 72 silvicultrix; nemorivagus. cf Muell. in ind. gr. s. v. composita. — Celeripes dixere Cic. ad Att. 9, 7, 1. Auson. epigr. 137, 32. parent. 27, 4.

semhians 61, 216 dulce rideat ad patrem — semhiante labello'. Sed mihiante V quod ingeniosissime correxit Scaliger coll. Gell. 19, 11, 4 dum semhiulco savio — meum puellum savior cf. et Macr. 2, 2, 17. Eodem vocabulo usus est Apul. met. 10, 28 semhiantes adhuc compressit labias, ubi Eyssenhardtio teste cod. Laur. pl. 69, 2 semiantes habet, quod nil est aliud quam semhiantes cf. 5, 18 ubi Laur. pl. 69, 2 sem|ante (i post sem|add. manu secunda) semanti Laur. 29, 2. — Ceterum consulendus L. Muellerus de rē metr. 260 qui scribendum esse semhians non semihians optime docuit collatis talibus qualia sunt semhominem semesum semanimum, quae sunt librorum auctoritate tuta.

semilautus 54, 2 Neri rustica semilauta crura' vid. Vulp. qui semilauta interpretatur male lota laudatque Nonii verba (p. 337 s. v. lautum). — Ceterum longa sua disputatione nihil proficit vir doctus. —

semimortuus 50, 15 at defessa labore membra postquam — semimortua lectulo iacebant'. semimortua, id est elanguida, inertia adeoque exhausta viribus, ut vix amplius versari possent, ut recte explicat Doering. — Eandem vocem habet Apul. met. 6, 26 an custodiam anus semimortuae formidabis?

semirasus 59, 5 ab semiraso tunderetur ustore'. Semiraso ex igne interpretatur Muretus, quod non verum esse existimo. Immo servos bustuarios, vilissima mancipia, ignominiae causa sordidos admodum atque semiraso capillo fuisse valde probabile est, vid. Doering. — Idem vocabulum est Apul. met. 9, 12 quales illic homunculi — capillum semirasi.

silvicultrix 63, 72 ubi cerva silvicultrix ubi aper nemorivagus'. — Phaedr. 2, 4, 3 sus nemoricultrix fetum ad imam posuerat, ubi L Muellerus scripsit nemoris cultrix

His addi possunt

inobservabilis 64, 115 ne labyrintheis e flexibus egredientem — tecti frustraretur inobservabilis error'.

— Eadem vox occurrit ap. Plin. h. n. 2, 17 (15) 77 exempli gratia in Martis sidere, cuius est maxime inobservabilis cursus

noctifer 62, 7 nimirum Oetaeos ostendit noctifer ignes'. De Hespero dictum ut Calp. ecl. 5,121 frigidus aestivas impellit noctifer horas.

tardipes 36, 7 vovit scripta tardipedi deo daturam, id est, Vulcano. Eodem sensu, sed non adiuncto nomine quod est deus Colum. po. 10, 419 tardipedi sacris iam rite solutis, quam locum iam Statius comparavit. Idem locutionem tardipedi deo, i. e. igni dare carmina illustravit all. Tib. I. (9, 49) Prop. IV. (V, 7, 78).

Ea quae sunt vesaniens et defututus quanquam in adiectivorum numero referuntur vulgo melius poni inter verba infra apparebit.

Sequuntur iam denominativa:

carpatinus 98, 4 possis — culos et crepidas lingere carpatinas'. genus rustici calceamenti, e crudo ac recenti corio confecti explicat Doering cf. etiam Voss. observ. p. 327. Hesychius s. v. *καρπάτινον· ἀγροικὸν ὑπόδημα μονόδερμον*, et sub v. *καρβατίνη· μονόπελμον καὶ εὐτελὲς ὑπόδημα ἀγροικόν·* Poll. 7, 88 *καρβατίνη μὲν ἀγροικικὸν ὑπόδημα, κληθὲν ἀπὸ Καρῶν. Καρβατίνη, καρβατίναι* apud Graecos passim leguntur.

cuniculosus 37, 18 cuniculosae Celtiberiae fili— Egnati'. Citavit hunc versum cum praecedente Priscianus bis V, 77, 673. P. 188, 21 H. unus' quia de vocativo quidam dubitant, Caper doctissimus antiquitatis perscrutator ostendit hoc usum Catullum et Plautum. Catullus, tu praeter omnes une de capillatis — Celtiberosae Celtiberiae fili' et VII, 22, 741 P. 305, 11 H. tu praeter — fili. Priore loco omnes, posteriore excepto darmstc. (ubi ex Catullo cuniculosae restitutum) itidem omnes codd. Celtiberosae habent; quamobrem Is. Vossius ad Mel. p. 233 (cf. observ. p. 92) coniecit Celtis perosae Celtiberiae fili, ad litterarum quidem ductus satis speciose, ad sententiam inepte. Neque vero

dubium est quin et id quod sequebatur Celtiberiae et vox inaudita librariis effecerint ut corrumperetur vera scriptura. Atque eam bene iam defendit Spanh. de V. et Pr. num. diss. IV p. 179 ex nummo ubi sedens cum oleae ramo mulier et adstans cuniculus, peculiare Hispaniae insigne, exhibentur. Vide Doering.

harundinosus 36, 13 quaeque Ancona Cnidumque harundinosam — colis'. Cnidon praestantes tulisse harundines testis est Plin. h. n. 16, 36 (64) 157 probatiores tamen (sc. harundines) Cnidii et qui in Asia circa Anaeticum lacum nascuntur. Statius comparavit Ovid. Metam. 10 (529 sqq.) capta viri forma non iam Cythereia curat — litora, non alto repetit Paphon aequore cinctam — piscosamque Cnidon gravidamve Amathunta metallis'.

imaginosus 41, 8. nec rogate — qualis sit; solet esse imaginosa'. Ita emendavit Schwabius; libri corrupte solet et imaginosum, in quo aut emandando aut explicando sese mire torquebant interpretes. Quorum innumerabiles fere coniecturas cum non in animo habeam hic loci proferre qui cognoscere velit adeat Schwabium vel Ellisium; ego hoc tantum dico mihi videri imaginosam vocari a Catullo eam quae soleat multa sibi fingere animo, ut nostri aiunt ‚eingebildet'. Et simili modo iam Doeringius interpretatus est etsi aberravit ille a vera emendationis viae.

Libystinus 60, 1 num te leaena montibus Libystinis — procreavit? Ita recte Scaligerus pro librorum lectione Libyssinis. Cf. O. Keller. ann. phil. III. Suppl. B p. 353 sq. qui in Babrii prooemio secundo v. 5 — *εἶπε καὶ Λιβυστῖνος* (coni. Schneidewin) — *λόγους Κιβύσσης* — recte defendit illud *Λιβυστῖνος* contra Hartungium coll. Steph. B. s. v. *Λίβυς· τὸ ἐθνικὸν Λίβυς, Λίβυσσα, Λίβυ, Λιβυκός, ῆ· καὶ Λιβύστιον, ὡς ἀπὸ τοῦ Λίβυστος τοῦ ἀπὸ τοῦ Λίβυος ὄντος κατὰ πλεονασμόν· καὶ Λιβυστικόν, καὶ Λιβυστῖνος καὶ Λιβυστίνη· καὶ Λιβυστιὰς καὶ Λιβυστὶς καὶ Λιβυσσαία ἀπὸ τοῦ Λίβυσσα;* Macrob. Sat. 1, 17, 24 Apollo Libystinus apud Siculos cf. etiam *Καρῖνος* pro eo quod vulgo dicitur *Καρικὸς* Poll. 5, 37.

Ceterum multi fuere veteres in creandis ab hac stirpe adiectivis; nam praeter illud iam nominatum septem, non minus, formaverie. Sunt autem haec: Libs, bis (*Λίψ, βός*) ap. Sidon. (ap Plin. h. n. 2, 47 (46) 119 venti cuiusdam est nomen cf. et Ampel. 5) Libycus (*Λιβυκός*) Verg., Hor., Ovid., Calp., Sil., Plin. Lact., Libys, yos (*Λίβυς*) Sil. — subst. Sall., Ovid al., Libyscus Colum., Libyssus Catull. 7, 3 quam magnus numerus Libyssae arenae, Sil. 8, 206 (subst Libyssa nomen est Bithyniae oppido Plin. h. n. 5, 32 (43) 148. Eutr. 4, 5 Amm. 22, 9, 3.), Libystis (*Λιβυστίς*) Verg., Libyus Varr. Tac

Malius 68, 54 lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis'. Mulia V Aliae adiectivorum formae hae sunt: Maliacus sinus Liv. Mel. Maliensis ager Liv. 42, 40, 6. — Graeci habebant haec: *Μηλιεὺς* (dor. *Μαλιείς*), *Μηλιακὸς* (dor. *Μαλιακός*) *Μηλὶς* (dor. *Μαλίς*).

Polyxenius 64, 368 alta Polyxenia madefient caede sepulcra'.

Adde quod eandem habe' formam:

Stymphalius 68, 113 tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta — perculit imperio deterioris eri'. Stymphalicus dixit Plaut. Pers. 1, 1, 4, Stymphalis Ovid. Hygin. — ides Martial. Graeci habent ea quae sunt *Στυμφάλιος* et *Στυμφαλίς*.

Protesilaeus 68, 74 coniugis ut quondam flagrans advenit amore — Protesilaeam Laudamia domum'. Ap. Schol. Pind. Isthm. 1, 11 legitur *Πρωτεσιλάεια*. Cf. Lob. par. 29, 25.

Eiusdem terminationis hoc est:

Simonidius 38, 8 paulum quid lubet adlocutionis — maestius lacrimis Simonideis'. Simonidius habet Serv. de cent metr. 1820 et 1822 (c. III, 5, 11. p. 369. c. IV, 10 p. 371. ed. Gaisf.) quo posteriore loco cod. B Simonidicus. — Est graecum *Σιμωνίδειος*. De threnis Simonideis cf. interpp. ad h. l., Bernhardy hist. litt. gr. 1, 705 sq. (ed. 3).

rosidus 61, 24 quos (ramulos) Hamadryades deae — ludicrum sibi rosido — nutriunt umore'. roscidus libri praeter Veronensem et editiones excepta Lachmanniana eaque vulgo utebantur forma. roridus dixere Propertius et qui eum secutus est Apuleius. — Glossae: rosidus *δεδροσμένος, δροσερός.*

semitarius 37, 16 omnes pusilli et semitarii moechi'. Qui meretrices consectamini obelo in angiportis prostantes recte interpretatur Vulpius.

His addendum:

hyacinthinus 61, 89 talis solet — stare flos hyacinthinus'. Idem vocabulum alio sensu legitur Pers. 1, 32 cui circa humeros hyacinthina laenast, ubi colorem significat hyacintho similem, quo sensu Plin. 37, 5 (20) 77 et Solin. 52 § 66 dicunt hyacinthizon (*ὑακινθίζων*) cf. et vulg. Esth. v. 6 tentoria aerii coloris et carbasini et hyacinthini. Eadem significatione qua Catullus hyacinthinus, dixere infimae aetatis scriptores hyacinthaeus ut Venant. carm. 8, 6, 270. — Ceterum ut Catullus flos hyacinthinus, ita Graeci *ὑακίνθινον ἄνθος* Od. 6, 231. 23, 158. Eur. Iph. Aul. 1298.

3. verba.

Verba singularia apud Catullum occurrunt haec:

confutuo 37, 5 putatis — solis licere quidquid est puellarum — confutuere et putare ceteros hircos? V confutere.

defutuo 41, 1 Ametina puella defututa — tota milia me decem poposcit cf. 29, 13 ut ista vestra defututa Mentula — ducenties comesset aut trecenties' (e Lachmanni emendatione; V diffutura, unde vulgo legebatur diffututa), quod quanquam non extat nisi hac participii forma tutius tamen videbatur huc referre, cum et illud confutuo apud solum Catullum reperiatur et quod eundem habet sensum

ecfutuo 6, 13 cur? non tam latera ecfututa (et futura V) pandas — ni tu quid facias ineptiarum' hac sola forma nobis nota esset ideoque tanquam adiectivum ut id quod est defututus in lexicis exhiberetur, nisi unus extaret Suetonii locus Caes. 51 ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse vel hoc disticho apparet iactato aeque a militibus per Gallicum triumphum: Urbani, servate uxores, moechum calvom adducimus. — aurum in Gallia ecfutuisti, hic sumpsisti mutuom. — Simile quid infra videbimus. —

expatro 29, 16 parum expatravit an parum eluatus est? Glossae: expatravit: ἐπετέλεσεν. Quaenam intellegenda sit consummatio docent interpretes, inprimis Ios. Scaligerus cuius vide commentarium. Libidinibus absumpsit iam Muretus recte explicavit.

frigero 61, 30 nympha quos super inrigat — frigerans Aganippe'. Eodem verbo usus est Cael Aurel. acut. 3, 2', 208 Diocles — frigerandos inquit cholericos (i. e. frigore reficiendos, recreandos). — Composita huius verbi sunt perfrigero Scribon. 271. refrigero ap. Cic., Cels., Colum., Quint., alios.

hiulco 68, 62 cum gravis exustos aestus hiulcat agros'. Glossae: hiulco σχίζω γῆν, αὐλακίζω. Idem verbum habet Venant. 6, 12, 6 et per hiulcatos fervor anhelat agros.

perdepso 74, 3 hoc ne ipsi accideret patrui perdepsuit ipsam — uxorem'. Perdepsuit Scaligeri est emendatio (cf. Turnebi adv. 21, 17). Libri perdespuit, quod ita explicat Muretus: cum eam prius adulterio contaminasset postea neglexit reicitque a se et libidinem suam in ipsum patruum, eius maritum, contulit' Atqui illud perdespuo neque sermoni latino convenit nec huius loci sententiae, cum id ipsum, in quo cardo rei vertitur, id est stuprum cum patrui uxore admissum, ne minime quidem esset significatum; poterat enim Gellius neglegere patrui uxorem, etiamsi Hippolyti in ea personam susti-

nuisset Recipienda igitur Scaligeri coniectura, quam illustrat egregia Pauli Manutii observatio in Cic. ad fam. 9, 22, 4: battuit, inquit, impudenter; depsit multo impudentius, ubi haec vir doctissimus (p. 665 ed. Ragazzoni) batuere, inquit, et depsere cum non obscena proprie sint verba, nam illud est verberare, vel pugnare, hoc subigendo tenerum reddere; ad obscenam tamen significationem transferuntur. Batuere enim sic accipitur *προβατεύειν* ut bini pro *βινεῖ*. Est autem *βατεύειν* cum mares insiliunt feminas rei Veneriae causa, quo verbo Theocritus (1, 87 cf. Eusth. p. 741, 48) usus est. Depsere vero est subigere miscere. Id perspicue docet Nonius (p. 39) condepsere, ait, est commiscere a Graeco tractum. Homerus Odyssea (12, 48) *κηρὸν δεψήσας μελιηδέα*. Pomponius nuptiis (fr. 86) partem insipui, conclusi, condepsui'. Depsere igitur et honestum et obscenum esse potest. Honestum est ap. Caton. de re rustica c. 90 et Varron., obscenum non agnoscitur exemplis, sed hic sufficere videtur Ciceronis locus. — Praeterea videtur Catullus c. 73 dixisse patrui perdepsuit ipsam — uxorem, non perdespuit, quem locum Ios. Scaliger, summo adolesceus ingenio, dignus plane Iulio Caesare patre filius emendavit'. Atque haec et alia Manutius. Poterat addere Graecorum illud *δέφω* (*δέφομαι*) quod alia tantummodo forma ab eadem stirpe deducta est, cuius attulisse exemplum sat erit Ar. equit. 24 ibique schol.

pipio 3, 10 ad solam dominam usque pipiabat'. Ita restituit I. Vossius ex Veron. scriptura piplabat. Libri ceteri cum editt., non excepta Lachmanniana, pipilabat, quod analogia caret, id quod iam Muretus animadvertit. Itaque Avantius coniecit pipulabat, P. Manutius pippiebat; sed melius utique Vossius cuius vid. observ. p. 9. Sunt autem tres verborum formae ex eadem stirpe generatae: pipiare, pipire, pipare Atque illud pipiare bis habet Tertullianus de monog. 16 infantes pipiantes, ubi haec est Priorii adnotatio: pipiare Oscorum lingua (cf. Fest. p. 212 pipatio

clamor plorantium lingua Oscorum) est vagire; ab eo fit pipilare, quo Catullus de passeris garritu utitur; et adv. Valent. 15 coelestes imbres pipiavit Achamoth, ubi Pamel. haec: Scribit Festus (inquit B. Rhen.) pipiationem esse clamorem plorantis lingua Oscorum. Pipiavit ergo coelestis imbres A. i. e. pipiando et plorando emisit. Factititium verbum est a sono plorantium pi pi. Similiter dixit auctor lib. de monog. infantes pipiantes. — Pipire dixit Colum. 8, 5, 14 auscultetur si pipiant (sc. pulli). — Pipare legitur ap. Varr. sat. Men. III. (1 ed. Buech.) mugit bovis, ovi' balat, equi hinnniunt, gallina — pipat; auct. carm. de philomela 24 (no 762 ed. Riese) accipitres pipant milvus hiansque lupit.

praetrepido 46, 7 iam mens praetrepidans avet vagari'. Doering: praetrepidare eleganter de iis qui morae sunt impatientes et prae laetitia vel cupidine alicuius rei quam mox suscepturi sunt, sicut equi generosi, ut hoc exemplo utar, frenum mordentes trepidant'. Recte.

reflagito 42, 6 persequamur eam et reflagitemus cf. ib .10 circumsistite eam et reflagitate'. — Non extat aliud verbi quod est flagito compositum praeter illud efflagito.

reglutino 25, 9 quae nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte'. Doeringius, reglutina, inquit, hoc est, resolve. Eleganter de furibus, quorum manus glutine quasi et visco illitae omnibus rebus adhaerent, easque tenaciter retinent. Sic infra carm. 33, 3. dextra inquinatiore dicitur'. Idem verbum activo sensu legitur Mart. Cap VI § 586 tandem igitur reglutinatis ab aethrae intervibrantis admiratione luminibus. Prorsus alio sensu positum est Prud. perist. 10. 874 vel amputatum plaga collum dividens — rursus coibit ac reglutinabitur, ubi idem valet quod iterum glutinare.

retono 63, 82 fac cuncta mugienti fremitu loca retonent'.

supperno 17, 19 nec se sublevat ex sua parte sed velut alnus — in fossa Liguri iacet suppernata se-

curi'. Ita pro librorum scriptura superata restitutum est e Festi loco 305 (b) 15 suppernata dicuntur quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius in annalibus (279) ,is pernas succidit iniqua superbia Poeni' et Catullus ad Coloniam: in fossa Liguri iacet suppernata securi' quo loco A. Politianus miscell. c. 73 (Grut. lamp. 1, 86) primus ad versus Catulliani emendationem usus est, ita tamen ut scriberet expernata. Vide etiam Scaligeri notam.

tepefacto 68, 29 frigida deserto tepefactet membra cubili'. Ita emendavit Bergkius ex deteriorum librorum scriptura tepefactat. V tepefacit, unde Lachm. tepefaxit. Ego cum Hauptio in ed. 2. et L. Muellero recepi illud tepefactet quod verbum cur exclusum sit a Georgesii lexico (vid. etiam L. Muell. indic. gr. p. 132 s. v. tepefacio) nullus video. Est enim eodem modo formatum quo illa calefacto, frigefacto, labefacto, de quibus nulla unquam extitit dubitatio.

truso 56, 6 deprendi modo pupulum puellae — trusantem.' Bene sed impudenter interpretatus est hoc verbum Muretus cuius vide sis comm. Honestius Doering, qui illud dictum esse ait de iis qui irrito conatu stuprum puellae inferre allaborant.

vesanio 25, 13 deprensa navis in mari vesaniente vento'. Lexica quidem tanquam adiectivum exhibent illud vesaniens; sed cum verbum vesaniendi extet apud Cassiodorum h. eccl. 9, 30 dicebat contra Deum vesanire Theodosium, et sat multa vocabula nusquam alias obvia communia habeant Catullus et scriptores christiani, quippe qui ex eodem utrique fonte, ex sermone scilicet communi, plurima hauserint, etiam participium illud hic commemorandum esse censui.

Adici possunt:

circumsilio 3, 9 sed circumsiliens modo huc modo illuc — ad solam dominam usque pipiabat'. Idem verbum habet Iuven. 10, 218 circumsilit agmine facto — morborum omne genus.

et

recrepo 63, 29 leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant'. Eodem verbo usus est auctor Ciris 108 seepe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus.

4. Adverbia.

Apud solum Catullum reperiuntur

amplifice 64, 265 talibus amplifice vestis decorata figuris'. Adiectivum quod est amplificus extat Front. de eloq. p 150 ed. Naber: tibi, Caesar, sublime et excelsum et amplificum ingenium ab dis datum est.

penite 61, 174 illi non minus ac tibi — pectore uritur intimo — flamma, sed penite magis.' — Superlativus penitissime legitur Sidon. ep. 4, 9 actiones eius quotidianas penitissime et velut ex otio inspexi. — Compar. penitius qui olim ferebatur Cels. 5, 28, 11 ‚penitiusque condita suppuratione' non extare in libris, qui habent penitus, iam Targa monuit ac penitus scripsit etiam Darembergius, novissimus Celsi editor. — Ceterum adiectivum quod est penitus, a, um, unde deducendum illud penite, excepto fortasse Vitruvio, auctore haut sane eleganti, non reperitur nisi apud archaicos et infimae aetatis scriptores, ut puta Plautum Varronem et Apuleium Martianum Capellam Iulium Valerium.

Memorari etiam potest

mimice 42, 8 illa quam videtis — turpe incedere mimice ac moleste — ridentem catuli ore Gallicani'. Est Turnebi emendatio; libri mirmice, pro quo Scaligerus rhythmice. Eodem adverbio usi sunt Senec. contr. 2, 12 § 5 Burs.: incidit in meretricem inter omnia mala etiam fecundam vere mimice, ubi vulgo perperam legebatur — — fecundam. Vere inimicae, quod e codice suo correxit Bursian. Tertull. apol. 46 mimice philosophi affectant veritatem et affectando corrumpunt, ubi eodem prorsus vitio, quod Senecae verba inquinavit, Fuldensis habet inimici, Agobardinus inimicae. Veram lectionem servavit Gothanus.

Iam finem facere possem de Catullo disputandi[1]) nisi visum esset etiam nomina propria quae dicuntur hac scriptione complecti. Sunt autem haec:

Veraniolus; Fabullus 12, 7. cf. 47, 3 de quibus vid. Schwabii quaestt. Catull. p. 240 sqq. Septumillus 45, 13 vid. Schwab. quaestt. p. 316. — Atque haec de Catullo.

---

[1]) Quae in verborum declinatione habet propria Catullus diligenter exposita sunt ab Heussnero obs. p. 7—24. ad quem, ne acta agam, delego lectorem.

B. Tibullus.

I. Graeca.

Graeca nomina duo habet singularia Tibullus, proprium utrumque, quae levissime perstringam.

Herophile (Ἡροφίλη) II, 5, 68 quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit — Herophile, Pytho Graiaque quod monuit'. De Herophile cf. intpp. et quem illi laudant Paus. 10, 12 (827).

ib. Phyto e coniectura Hauptii. Phoeto Lachmannus. Phoebo libri. Ceterorum interpretum conatus vide ap. Dissen.

II. Latina.

Et substantiva quidem singularia non reperiuntur apud Tibullum; adiectiva solus habet nonnulla, quae iam enumerabo. Sunt autem denominativa haec:

Marpesius II, 5, 67 quidquid Marpesia dixit — Herophile'. Ita habent libri plurimi etiam Lact. inst. 1, 6 vico Marpesso, circa oppidum Gergithium, eaque in editiones fere recepta est lectio cf etiam Pausan. l. l. ἀπέχει δὲ Ἀλεξανδρείας τῆς ἐν τῇ Τρῳάδι τεσσαράκοντα ἡ Μάρπησσος, ubi libri constanter praebent τὸ Μάρπησσον. Salmasius exercitt Plin. p 78 in Tibullo scribere volebat Mermessio assentiente Brouckhusio quode vid. Diss. ad h l.

Tarbellus I, 7, 9 Tarbella Pyrene — testis et Oceani litora Sanctonici'. Eadem forma usus est Auson. parent 2, 2 sanguine mixto — Tarbellae matris, patris et Aeduici ib. 4, 12 Tarbellique furor perstrepit Oceani; praefat. 2, 6 Tarbellis sed genitrix ab aquis vid. Scalig. lectt. Auson. 1, 6 p. 21 sq. — Tarbellicus dixere Lu-

can. 1, 421 qua litore curvo — molliter admissum claudit Tarbellicus aequor, et Auson. profess 16, 7 Tarbellica Maurae — matris origo fuit; epist. 24, 125 Tarbellica iam tenet arva; Mosell. 468 Tarbellicus ibit Aturus.

Fortasse memorari potest etiam illud.

Aquitanus I, 7, 3 hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes cf. Auson. urb. 12, 6, inter Aquitanas gentes et nomen Iberum; parent. 24, 7 stirpis Aquitanae mater tibi. — Ceteris locis ubi legitur hoc vocabulum, substantivum est. — Aquitanicus occurrit apud Plinium (Aquitanicus sinus) et Ammianum (Gallia et provincia Aquitanica idemque ap. Plin.) et aliquotiens ap. Ausonium.

His denominativis addendum est

quotuscunque II, 6, 54 — satis anxia vivas — moverit e votis pars quotacunque deos'. Eandem vocem e Putean. div. lect. receperat Heinsius Ovid. her. 13, 60: et sequitur regni pars quotacunque sui, ubi Merkelius scripsit ‚pars quota quemque sui'. Idem medic. form. v. 31 est etiam placuisse sibi cuicunque voluptas, ubi Hensius voluit quotacunque voluptas. Ac posteriore quidem loco recte sine dubio Merkelius; priore utrum verum sit non penitus introspecta re dubitari possit. Etenim sanequam apta videtur sententia haec: est sane timendus ille Troianus, quippe qui tantis instructus opibus huc venerit; at quanto maiores domi eum reliquisse credibile est? Atqui repugnat huic interpretationi tempus praesens ‚sequitur' quod sententiam significat generalem. Quare melius, opinor, alteram, id est, Merkelii lectionem probabimus ac sic interpretabimur: multas huc attulit ille opes; at multo maiores procul dubio reliquit domi, nam parva pars opum sequitur peregrinantes. Ergo nusquam alibi reperiri illud quotuscunque fateamur necesse est. —

Iam ponam ea quae singularia habet panegyrici scriptor, quae cur seorsum ponenda putaverim mihi paucis erit exponendum. Atque illius quidem rei non erit melior defensio, quam si certis argumentis non esse Ti-

bulli hoc carmen evicero. Namque ea quae adhuc prolata sunt non ita esse comparata, ut omnem possint scrupulum evellere iam inde adparet quod W. S. Teuffelius, acerimo vir iudicio, cum in praefatione interpretationis germanicae p. 11 sqq. (cf. Stud. u. Charakter. p. 352 sqq.) tum in litt. Roman. hist. p. 443, 3 genuinum esse panegyricum graviter affirmat. Idem tamen minime dubitat tertium elegiarum librum non esse Tibulli eamque opinionem multis argumentis optime comprobat (praef. int. germ. p. 36 — 44.). Quae cum ita sint, non aliter viro clarissimo persuadere posse videor, non a Tibullo esse scriptum hoc carmen, quam si iisdem plane argumentis, quibus ille usus est in tertio libro confutando, utor et ipse in Messalae panegyrico a Tibullo abiudicando. Neque vero integra res est; sunt enim iam prolata nonnulla, ut divisio rerum molesta, quae declamationi magis conveniat quam carmini; orationis inaequalitas, quippe quae nunc inflata assurgat, nunc serpat humi; doctrinae affectatio inepta; denique animi humilitas tanta, ut exemplar adulatorii dedecoris interdum possit iure vocari. Quae cum omnia iam frustra sint adhibita, duo relicta esse video argumentationis genera, quibus ipse tribuere plurimum soleo, dico argumentationem e re grammatica et e re metrica petitam, quibus iisdem in tertio libro rectissime usus est Teuffelius (p. 43 sq.). Et ea quidem quae in versibus condendis habet propria panegyrici scriptor iam L. Muellerus cum cura enotavit (praef. p. 28 sq.); in re grammatica vero id ipsum adhibebo quo praecipue usi sunt in libro tertio Lachmannus eumque secuti Dissenus atque Teuffelius, scilicet particularum observationem. Atque in hac quaestione illud vel maxime memorabile, usum esse panegyrici scriptorem particula ergo v. 175 ergo ubi praeclaros ierint tua fata triumphos. Teuffelius praef. p. 43: prosaische Partikeln wie autem (andererseits), ergo, etenim finden sich bei Tibull nicht, wohl aber wiederholt im dritten Buche — — — Eigenheiten welche, je unbewusster sie hervorzutreten pflegen, um so mehr Beweiskraft

haben. At qui, amabo, fieri potest, ut eadem voce et usus sit idem scriptor et non usus sit? Profecto aut minus diligens erat Tibullus in deligendis vocabulis aut alius quispiam panegyricum scripsit. Similis condicio particulae quanquam, qua nunquam usus est Tibullus, usus est auctor panegyrici 1: quanquam me cognita virtus — terret; 28: nam quanquam antiquae gentis superant tibi laudes. Nec magis particulam quippe apud Tibullum inveneris, quae in panegyrico legitur 157 quippe ubi non unquam Titan super egerit ortus. Ea quae sunt uti, veluti non occurrunt ap. Tibullum, occurrunt in panegyrico 104 dexter uti laevum teneat dextrumque sinister; 41 iusta pari premitur veluti cum pondere libra. Tibullus semper dixit seu, scriptor panegyrici etiam formam dissyllabam sive admisit, qua in re convenit ei cum Lygdamo. cf. pan. 26. 80. 96. 209. Lygd. 1, 26. 3,14. 4,11. 5,32. — Iam finem facio congerendi exempla; illud tamen silentio praeterire nolo, etiam alia quaedam extare, quae quamvis pusilla sint suspicionem movere possint quo refero illud v. 100 tum tibi non desit faciem componere pugnae, quod magis Propertio quam Tibullo convenire existimo, nec minus locutionem illam sanequam puerilem v. 114 sq. ipse tamen velox celerem super edere corpus — gaudet equum. At haec, minuta scilicet, attigisse satis habeo nec si quis dissentiat aegre fero; illa graviora et quae vel sola non Tibulli esse panegyricum coarguere queant, quamobrem iure videor seorsum posuisse ea quae in illo reperiuntur singularia.

Ac primum quidem enumerabo nomina propria. Sunt ea haec:

Artacie 60: incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque — nobilis Artacie gelida quos inrigat unda'. Od. 10, 108 ἡ μὲν ἄρ (sc. θυγάτηρ ἰφθίμη Λαιστρυγόνος Ἀντιφατάο) ἐς κρήνην κατεβήσετο καλλιρέεθρον — Ἀρτακίην.

Magyni 146 quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos'. Ita libri. Qui fuerint Magyni plane ignoratur; itaque fuere qui vellent Mosynos; at Mosyni non ad Tanaim habitabant, id quod iam recte

monuit Dissenus; Is. Vossius (ad peripl. Pont. Eux. p. 81.) Sigynos cf. Her. 5, 9; Ap. Rh. 4, 320. I. H. Vossius satis temere Gelonos; L. Muellerus Macrones. Equidem, quamvis arrideat Muelleri coniectura, in re tam lubrica librorum scripturam retinendam esse censeo, praesertim cum is qui scripsit hoc carmen abstrussima quaeque et a notitia vulgi remotissima consectari soleat.

Padaeus 145 inpia nec saevis celebrans convivia mensis — ultima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus'. Memorantur Παδαῖοι Herodoto 3, 99. Est Indiae quidam populus.

Illud Diaspes quod v. 140 libri habent haud dubie corruptum est ex eo quod flagitat sensus quodque recepere homines docti Choaspes.

Non magis a panegyrici scriptore profectum videtur.

domator 116 te duce non alias conversus terga domator — libera Romanae subiecit colla catenae'. Neque enim habet illud domator quo referatur apte; nam quod Dissenus supplet ‚equorum' idque ex antecedentibus facile repeti posse censet, secutus est ille quidem vulgarem interpretum consuetudinem, qui ubi aliquid non intellegi potest eliciunt ex sententiarum scilicet condicione nescio quid quo sustentetur vacillans librorum auctoritas; sed neque facile ex antecedentibus repeti potest illud equorum nec vero etiamsi repeti posset satis commode inter se opponerenter ea quae sunt ‚domator equorum' et ‚libera Romanae subiecit colla catenae'. Non enim hoc dicere debebat scriptor: qui antea equos domare consueverant, te duce a Romanis domiti ipsi sunt, nam equos domare etiam subacti a Romanis potuerunt; sed haec potius postulatur sententia: qui antea bellica sua virtute et equestri arte confisi alias gentes domabant, te duce domiti ipsi sunt a Romanis. ‚Gentium' igitur vel ‚populorum' supplendum esset, quod tamen e sermonis latini et sanae rationis legibus non magis fieri potest quam quod proposuit Dissenus. Recte igitur L. Muellerus scripsit domante pro ‚domator' quo accepto sen-

tentia fit clara et plana. Corruptum est autem illud domante haud dubie eo, quod librarii oculi aberrarunt ad versum praecedentem ubi est moderator. — Ceterum legebatur haec vox antea etiam Amm. 21, 5, 9: fortunatum domatorem (al. dominatorem) gentium adpellans et regum, ubi tamen Eyssenhardtius e cod. Vaticano (emend. prim. manus ant.) scripsit domitorem.

Iam adiectiva solus habet panegyrici auctor haec:

a) composita: inaequatus v. 43 qualis (sc. libra) inaequatum si quando onus urget utrimque — instabilis natat alterno depressior orbe',

b) denominativa.

Arecteus 142 Gyndes — aret Arecteis haut una per ostia campis'. Qui sint Arectei campi non certo potest diiudicari. Et Scaligerus quidem deduxit hoc adiectivum ab oppido illo Arec, cuius mentio fit gen. 10 (v. 10) fuit autem principium regni eius Babylon et Arec et Achad et Calne in terra Senaar. Atqui ab eo quod est Arec (אֶרֶךְ) non potest fieri adiectivum Arecteus sed Arecaeus sive Areccaeus atque ita, si quid mutandum sit, legere malim quam ut Is. Vossius suspicatus est Darnaeis qui collato Herodoti loco (1, 189) nihil proficit; nam ibi legendum est *ῥέει δὲ διὰ Δαρδανέων* (*Δαρδάνων* cod. B Steinii). At ne hoc quidem coniectura est inferendum Tibullo, cum non verisimile sit, ut vox tritissima Dardaneis depravari potuerit in illud Arecteis. Melius utique et hic coniecturis abstinebimus, cum sit plane eadem huius loci atque illius quem supra habuimus (v. 145 s. v. Magyni) condicio.

Arupinus 110 testis Arupinis et pauper natus in arvis'. Scaligerus coniecit Arupinas forma veteribus non usitata. Multo etiam infelicius qui retinebant illud Arupinus quod vulgo ferebatur ante Scaligerum. Est vero recta Cuiaciani scriptura Arupinis. — Arupium erat Iapydiae urbs cf. Scalig. ad h. l.

Meletaeus 200 posse Meletaeas non mallem vincere chartas', i. e. Homeri carmina. Meles *Μέλης* fluvius erat urbem Smyrnam alluens cf. Plin. 5, 29 (31)

118 et quae alia attulere interpretes. — Meletinus dixit Ovid. fast. 4, 236 saepe Meletinas iurat adesse deas.

Molorcheus 13 laeta Molorcheis posuit vestigia tectis'. — Vid. intpp.

Verbum habet unum singulare panegyrici scriptor

confindere 173 et ferro tellus, pontus confinditur aere' et unum itidem adverbium

seiunctim 103 seu libeat duplicem seiunctim cernere Martem'. — Adverbia a verbo iungendi deducta extant apud scriptores latinos praeter illud seiunctim haec: coniunctim ap. Caes., Cic. Liv. disiunctim Gai. inst., al.

C. Propertius.

cf. Hertzberg. quaestt. Propertt. 163.

Iam in Propertii vocibus singularibus enumerandis difficile dictu est quaenam sequenda sit ratio, cum eae pleraeque sint aut nomina propria aut adiectiva ab illis derivata, quorum si vel totam farraginem diligentissime collectam habebis, nihil aut perpaulum ad accuratiorem linguae latinae cognitionem profeceris Idem sane evenit in Tibulli carminibus et panegyrico Messalae; at difficilior multo et molestior in Propertio res est, quippe qui tam multa istius generis habeat, nullo ut negotio iustum enumerandis iis accurateque enarrandis volumen possis conficere. Itaque cum nec persequi fusius hic loci illam quaestionem vellem neque vero frustrare lectorem iis quae in eam rem collegeram, optimum videbatur enumerare quidem vocabula omnia — nisi quod fugit dlligentiam —, nihil autem adicere interpretationis, quam quivis harum rerum curiosus petere poterit ex uberrimis Hertzbergii aliorumque commentariis. — Ceteroquin eundem ordinem, quo in Catullo atque Tibullo usus sum, et hic servabo.

I. Graeca.

I. Nomina propria.

Amycle V, 5, 35 Ingerat Apriles Jole tibi, tundat Amycle — natalem Mais Idibus esse tuum'. — *Ἀμύκλας, ου, ὁ* habent Graeci.

Arganthus I, 20, 33 hic erat Arganthi Pegae sub vertice montis — grata domus Nymphis umida Thyniasin'. — *Ἀργανθόνιον ὄρος* Graeci cf. Strab. 12 p. 564.

Borysthenidae II, 7, 18 gloria ad hibernos lata Borysthenidas'.

Cepheus V, 6, 78 Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat'. Graeci *Κηφεύς*.

Cytaine I, 1, 24 Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes — posse Cytaines ducere carminibus'. Ita correxit Lachmannus. Cythainis N. Vid. Hertzb.

Cytaeis II, 4, 17 non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis'. Graeci *Κυταιίς, Κυτηιίς*.

Dorozantes V, 5, 21 Si te Eoa Dorozantum iuvat aurea ripa'. Coniecturas quibus homines docti pro gente ignota substituere notiorem volebant vid. ap. Hertzbergium et Muellerum.

Glaucis V, 5, 55 Glaucidos et catulae vox est mihi grata querentis'. *Γλαῦκος, ὁ*, Graeci.

Hilaira I, 2, 16 non sic Leucippis succendit Castora Phoebe — Pollucem cultu non Hilaira soror'. *Ἱλάειρα* Graeci.

Horops V, 1, 77 me creat Archytae soboles Babylonius Horops — Horon'. Atque illud Horops neque apud Romanos nec apud Graecos alibi legitur, id quod est Horos habent saepius Graeci, e Romanis solus Macrobius sat. 1, 21 § 13 apud eosdem Apollo, qui est sol, Horus vocatur.

Iasis I, 1, 10 Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores — saevitiam duri contudit Iasidos'.

Lampetie IV, 11, 29 Lampeties Ithacis veribus mugisse iuvencos'. Graeci *Λαμπετίη* cf. Od. 12, 135. 373.

Latris V, 7, 75 deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usust — ne speculum dominae porrigat illa novae'. Graeci habent appellativum *ὁ, ἡ λάτρις*, minister, ministra.

Lycinna IV, 14, 6 illa rudes animos per noctes conscia primas — imbuit heu nullis capta Lycinna datis'. — *Λυχῖνος*. habent Graeci.

Lycotas V, 3, 1 haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae'.

Parthenie V, 7, 74 nutrix in tremulis nequid desideret annis — Parthenie'. — *Παρθενία, Παρθενίη* Graeci.

Petale V, 7, 43 nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas — codicis immundi vincula sentit anus'. — *Πετάλη* Graeci.

Strymonis V, 4, 72 illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta — Strymonis abscisso fertur aperta sinu'. — *Στρυμονίς, ίδος* Graeci.

Illud quod est

Oromedon IV, 8, 48 te duce vel Iovis arma canam caeloque minantem — Coelum et Phlegraeis Oromedonta iugis, nihili esse scribendumque ‚Eurymedonta' iam Huschkius demonstravit anall. litt. 320 sq. — Atque hactenus de nominibus propriis.

2. Appellativa.

Adryas I, 20, 12 non minor Ausoniis est amor Adryasin'. Graeci *Ἀδρυάς*.

baris (*βᾶρις*) IV, 10, 44 baridos et contis rostra Liburna sequi'. Saepe invenitur ea vox apud scriptores graecos. Est Aegyptiaca vid. intpp. ad Her. 2, 41, 96 (cf. et Diod. 1, 92). Ad sententiam cf. Hor. epod. 1, 1 ibis Liburnis inter alta navium, — amice, propugnacula.

heroine I, 13, 31 illa sit Inachiis et blandior heroinis cf. II, 2, 9 qualis et Ischomachae Lapithae genus heroine; I, 19, 13 illic formosae veniant chorus heroinae. — *ἡρωίνη* saepe occurrit apud Graecos.

Lygmon V, 1, 29 prima galeritus posuit praetoria Lygmon'. Forma graeca nominis Etrusci Lucumo (Lauchme). Cf. Hertzberg. ad. h. l. Niebuhr hist. R. 1, 123 sqq. O. Muell. Etrusc. 1, 336 sq.

Hic memorari potest etiam illud

crotalistria V, 8, 39 Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis'. Eadem voce usus est Publilius Syrus

inc. fab. 6. p. 259 Ribb. ciconia etiam grata peregrina hospita — pietaticultrix gracilipes crotalistria — avis. cf. Petron. 55. Idem vocabulum restituere volebat Heinrichius Iuven. sat. I, 116 quaeque salutato crepitat Concordia nido, ubi ille scribendum esse censuit: cuique salutato crepitat crotalistria nido, quae verba ita interpretatus est: und (die Gottheit sc. pietas) welcher zu Ehren der Storch klappert, so oft er zu seinen Jungen zurückgekehrt ist. Neque negari potest, scripturam ab Heinrichio propositam longe praeferendam esse contortis illis explicationibus, quibus interpretes traditam lectionem tueri conabantur. Cf. Publilii verba supra allata, quae eadem Heinrichius ad coniecturam suam firmandam adhibuit. Iahnius tamen et Hermannus libros secuti sunt.— Ad formam comparari possunt talia qualia sunt cymbalistria Petron., Orelli inscr. 2449 sq. ὀρχήστρια Poll., Chrys. cf. Thom. M. p. 256, 4. R. tympanistria Sidon. τυμπανίστρια Dem., Luc.). — Ceterum verbum crotalisso unde deducendum illud crotalistria extat Macrob. de diff. 21, 8. sunt quaedam huius formae (sc. frequentativae) sine substantia principalis: cyathissare, tympanissare, crotalissare. κροταλίζω apud Graecos passim.

II. Latina.

I. Nomina.

assessus V, 11, 50 quaelibet austeras de me ferat urna tabellas — turpior assessu non erit ulla meo'.

cantamen V, 4, 51 O utinam magicae nossem cantamina Musae'. Eadem vox reperitur apud infimae aetatis scriptores cf. Apul. de mag. 43. 84. metam. 2, 22; Hildebr. ad c. 102 de mag.

memorator IV, 1, 33 nec non ille tui casus memorator Homerus — posteritate suum crescere sensit opus'. memoratrix dixit Valerius Flaccus 5, 142 illis

omnis adhuc veterum tenor et sacer aeris — pulsus et eoae memoratrix tibia pugnae.

Substantivorum ceteroquin sat frequentium formae apud solum Propertium inveniri videntur haec:

exuvium V, 10, 6 et exuvio plenus ab hoste redis'. Vulgo dicebant exuviae.

spectaclum V, 8, 21 spectaclum ipsa sedens primo temone pependit'.

II. Adiectiva.

Ac primum quidem ponam denominativa.

Alcmaeonius IV, 4, 41 aut Alcmaeoniae furiae aut ieiunia Phinei'.

Amphiareus III, 32, 39 non prosint tibi quadrigae fata Amphiareae'. — Ἀμφιαρεῖον habent Graeci. — Ceterum de versus scriptura vid. Lachm., Hertzberg. et Muell. notas.

Athamanus V, 6, 15 est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus'. — Athamania Livius; Ἀθαμανία Strab.

Autarius I, 8, 25 et dicam: licet Autariis considat in oris — et licet Hylleis, illa futura meast'. — Ita correxere Itali. N Atraciis. Duo libri (Vat. II et Voss.) Autraciis. Vid. Hertzberg.

Bellerophonteus IV, 2, 2 Bellerophontei qua fluit umor equi'. Eadem voce usus est Claudian. IV. cons. Hon. 559 Bellerophonteas indignaretur habenas.

Ceraunus III, 8, 3 non potuit vitam saxo posuisse Cerauno'. Vulgo dicebant Ceraunius (Ceraunii montes, Ceraunia cf. Orell. et Lübker. ad Hor. carm. I, 3, 20) eamque formam habes apud ipsum Propertium I, 8, 19 ut te felici post lecta Ceraunia remo e. q. s. — Graeci Κεραύνιος (Κεραύνια ὄρη Apoll. Rh. Strab.).

Daedalius III, 6, 8 Daedalium lino cum duce rexit iter'. Daedaleus Hor. c. II, 20, 13 IV 2, 2. Daedalicus Venant. 10, 11, 17 cf. Zangemeist. p. 25. Hertzberg ad II, 17, 5. — Graeci Δαιδάλειος.

Gygaeus IV,10, 18 Lydia Gygaeo tincta puella lacu'. Plin. h. n. 5, 29 (30) 110 ex quo profluente Pactolo eodemque Chrysorrhoa ac fonte Tarni a Maeoniis civitas ipsa Hyde vocitata est clara stagno Gygaeo. — Hom. Il. 2, 865: *νῖε Ταλαιμένεος, τῷ Γυγαίῃ τέκε λίμνη.*

hederosus V, 4, 3 lucus erat felix hederoso conditus antro'.

Hylaeus I, 1, 13 ille etiam Hyllaei concussus vulnere rami — saucius Arcadiis rupibus ingemuit'. Ita correxerunt Perreus et Volsus. N psylli G psili. Vid. Hertzberg.

Hylleus I, 8, 26 et licet Hylleis, illa futura meast'.

Lycomedius V, 2, 51 tempore quo sociis venit Lycomedius armis — atque Sabina feri contudit arma Tati'. Cf. Fest. p. 120: Lucomedi a duce suo Lucumo dicti, qui postea Lucreses appellati sunt, ubi haec O. Muellerus: ‚ex his intelligere mihi videor, Graeculum aliquem vel Romanum immodice graecissantem Lycomidarum gentem, quae a Lycomo vel Lucamo nomen et originem ducebat, ex Attica Messeniave in Italiam transvexisse et Lucerum stirpem ex ea derivasse'. Melius explicavit rem Hertzbergius, cuius vide adnotationem.

Menandreus II, 6, 3 turba Menandreac fuerat nec Thaidos olim — tanta'. — Menandricus habet Tertull. de pall. 4 prorsus si quis Menandrico fluxu delicatam vestem humi protrahat e. q. s. — *Μενάνδρειος* Luc.

Menelaeus III, 7, 14 cum Menelaeo surgeret e thalamo'. Graeci *Μενελάϊος*.

Naicus III, 30, 40 supposita excipiens Naica dona manu'. — *Ναϊαχὸς* Anthol. 10, 21, 8 Iacobs.

Neuricus V, 3, 8 te modo viderunt iteratos Bactra per ortus — te modo munito Neuricus hostis equo'. Ita emendavit Jacobus. hericus N euricus G. Vid. Hertzberg.

Nilotes V, 8, 39 Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis'. Est Scaligeri emendatio. Libri Nile, tuus

quod frustra defendit Hertzbergius. Vide ipsum. — *Νειλώτης, Νειλῶτις* Graeci.

Nycteis, I, 4, 5 tu licet Antiopae formam Nycteidos et tu — Spartanae referas laudibus Hermionae'.

Oronteus I, 2, 3 aut quid Orontea crines perfundere murra e. q. s'.

Perimedeus II, 4, 18 non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis — non Perimedeae gramina cocta manus'. Cf. Theocr. 2, 15 sq. *φάρμακα ταῦτ', ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκης — μήτε τι Μηδείας μήτε ξάνθης Περιμήδης.* Est eadem quae Homero audit *Ἀγαμήδη* Il. 11, 740. Vid. intpp. ad Theocriti et Propertii locos.

Phaeacus IV, 1, 51 nec mea Phaeacas aequent pomaria silvas'. — Phaecius dixere Tibullus (I, 3, 3) et Ovidius. — *Φαιακία* legitur ap. Steph. B. Suid. pro eo quod magis usitatum erat *Φαιακίς.*

Philetaeus IV, 2, 52 ora Philetaea nostra rigavit aqua'. cf. V, 6, 3 serta Philetaeis certent Romana corymbis'.

roridus V, 4, 48 tu cave spinosi rorida terga iugi'. Eadem voce usus est Apul. met. 4, 17 an ignoras hoc genus bestiae lucos consitos et specus roridos et fontes amoenos semper incubare?

Thiodamanteus I, 20, 6 Thiodamanteo proximus ardor Hylae'.

thyius IV, 6, 49 sed thyio thalamo aut Oricia terebintho — et fultum pluma versicolore caput'. Ita emendarunt Itali vitiosam librorum scripturam chio. Adiectivum thyius eadem proportione formatum esse a nomine *θύα* vel *θύον,* qua id quod est citrius (promiscue dictum illud pro citreus) a citro iam Hertzbergius monuit, qui idem comparavit Theophr. hist. pl. V, 3 *ὕλη Μακεδονικὴ ἔχουσα θύϊον,* ut verissime scripsit Scaligerus pro eo quod legebatur vulgo *τύϊον.* Est vero illud *θύϊον* vel *θύα* arboris nomen bene olentis, quam Romani appellabant citrum. Cf. quos Hertzbergius citavit Hesych. s. v. Hom. Od. 5, 60 ibique Didym. et Eustath. p. 1523. Athen V p. 207. Theophr. h. pl. V, 5. Macr. Saturn.

3, 14. Plin. h. n. 13, 29. — Altera est adiectivi forma thyinus vulg. Io. apoc. 18, 12 et omne lignum thyinum (θύϊνος Graeci).

Addi possunt:

armillatus V, 8, 24. Serica nam taceo volsi carpenta nepotis — atque armillatos colla Molossa canes'. Eodem adiectivo usus est Sueton. Calig. c. 52: armillatus in publicum processit, et Ner. 30 armillata et phalerata turba.

et

carbasus adi. V, 3, 64 raptave odorato carbasa lina duci'. — carbasum, i Pacat. pan. in Theod. 33; carbasi, orum Amm. 14, 8, 14. Aliae adiectivorum formae sunt haece: carbaseus Cic., Verg., carbasineus Varr. ap. Non., carbasinus Plin., Mart. Cap., Vulg., subs. carbasina Apul. — Graeci adiectiva habent haec: καρπάσινος Dion. H., Strab., καρπάσιος Paus.

Compositum unum habet solus Propertius

impressus III, 32, 7 missus et impressis haedus ab uberibus'. Scaliger, impressa, inquit, ubera, non mulcta, ii enim pinguiores, quorum matres non mulgentur. Atque hanc interpretationem veram esse existimo.

Non Propertianum videtur illud

ardidus II, 3, 24 non tibi nascenti primis, mea vita, diebus — ardidus argutum sternuit omen Amor? — Ita fere libri (arduus G.). At aliter citat hunc versum Macrob. de diff. gr. et lat. v. V, 626 sternuto frequentativum est a principali sternuo. Propertius: candidus augustae sternuit omen amor'. ubi videnda Passeratii adnotatio apte conferentis Propertii versus (V, 1, 67 sq.) Roma fave, tibi surgit opus, date candida cives — omina et inceptis dextera cantet avis, et Catulli (45, 8 sq.) hoc ut dixit Amor, sinistra ut ante — dextra sternuit adprobationem. Brouckhusius coniecit aureus, quod tantum non perpetuum esse Amoris epitheton exemplis sat multis asserere studet. Alii ineptam libri Hamburgensis scripturam aridus probavere. Hertzbergius retinuit illud ardidus comparavitque cum iis

quae sunt fervidus, timidus, placidus, aliis. Poterat adicere ipsum candidus, quod Macrobius in versu Propertiano habet quodque praeferunt illi ardidus homines docti: Verum enimvero ex analogia formatum esse illud aridus neque ii negabant qui Macrobii receperunt lectionem neque ego nego; at quinam sit explicandum plane ignoro nec explicavit Hertzbergius, qui quod in interpretatione Propertii germanica vertit: hat in den Tagen etwa, mein Herz, die das Leben dir schenkten — laut zum Glück dir geniesst Amor der feurige Gott? epitheton affingit deo hic quidem minime conveniens. Equidem, ne multus sim, omnino verum esse puto illud candidus (quam eandem lectionem exhibent exc. Bobiens. V. p. 651); sed pro eo quod Macrobius habet augustae (augustum non inscite Passeratius) non dubito cum Muellero recipere librorum scripturam argutum quam cur Lachmannus posthabuerit Passeratii invento non video. Vide ipsum ed. mai. p. 108.

3. Verba.

Atque in hac quaestionis parte iam illud quod primum occurrit.

eviolo I, 7, 16 te quoque si certo puer hic concusserit arcu — quo nolim nostros eviolasse deos, falsum sine dubio est, qua de re cum nunc nemo dubitet dicere plura supersedere possum, ad Hertzbergium delegasse lectorem contentus; qui tamen ipse quod Italorum secutus inventum scripsit: quod nolim nostros evoluisse deos, ne hilum quidem proficit. Nam quomodo illud evolvere dici queat hac translatione non magis perspicio quam Keilius qui infeliciter coniecit: quod noli nostros heu violasse deos. Optime vero Muellerus, qui mutatione paene nulla scripsit: quo nolim nostros te violasse deos. Atque hanc veram esse scripturam nullus dubito.

Similis prorsus condicio illius

intepeo V, 1, 124 et lacus aestivis intepet Umber aquis, quode satis habeo cum Muellero Lachmanni

(ad Lucr. 2, 301) laudasse observationem; nam latinum est intepescere, quo usi sunt Ovid., Colum., Sen., Petr., non est illud intepere, quod ne sensu quidem aptum esse hoc loco monuit idem Muellerus acutissime coniciens: et lacus aestivis si tepet Umber aquis. Et hoc aut verum esse aut certe a veritate proxime abesse puto.

At recte sine dubio habet

sevehor IV, 2, 21 cur tua praescripto sevectast pagina gyro, quod sanissimo usus iudicio e librorum scriptura reposuit Lachmannus, cum antea parum latine legeretur: cur tua praescriptos evectast pagina gyros. — Atque haec habui de Propertio.

Index verborum.

I. Catullus.

acina 21 sq.
amarities 22.
amplifice 39.
anilitas 23.
argutatio 19 sq.
bimulus 25.
brachiolum 16.
buxifer 27.
calathiscus 11.
caprimulgus 23.
carpatinus 31.
catagraphus 11 sq.
circumsilio 38.
confutuo 34.
coniger 27.
coniugator 20.
cuniculosus 31 sq.
defutuo 34.
ecfutuo 35.
ederiger 27.
epistolium 18.
erifuga 27.
eruditulus 24.
expatro 35.
Fabullus 40.
falsiparens 28.
febriculosus 26 sq.
femella 16.
floridulus 24 sq.
fluentisonus 28.
frigero 35.
frigidulus 27.
fututio 20.
harundinosus 32.
hiulco 35.
hyacinthinus 31.
imaginosus 32.
imulus 25.
infacetiae 23.
inobservabilis 30 sq.
inrumatio 20.
inrumator 21.
iustificus 28.
lacteolus 25.
lasarpicifer 28.
lassulus 25.
Libystinus 32.
Malius 33.
medullula 16.
mimice 39.
mnemosynum 10.
mollicellus 26.

multivolus 28 sq.
nemorivagus 29.
Nereine 9.
noctifer 31.
Nysigena 29.
omnivolus 29.
oricilla 16 sq.
pallidulus 26.
parthenice 10 sq.
peditum 23.
penite 39.
perdepso 35 sq.
perlucidulus 26.
pinnipes 29.
pipio, are 36.
ploxenum 13 sq.
plumipes 29.
Polyxenius 33.
praetrepido 37.
properipes 29.
Protesilaeus 33.
pupulus 18 sq.
recrepo 39.
reflagito 37.
reglutino 37.
retono 37.
rosidus 34.
salaputium 14 sqq.
salillum 17.
scortillum 17.
semhians 30.
semilautus 30.
semimortuus 30.
semirarus 30.
semitarius 34.
Septumillus 40.
sepulcretum 23.
sicula 17 sq.
silvicultrix 30.
Simonidius 33.
solaciolum 18.
Stymphalius 33.
suaviolum 18
supperno 37.
tardipes 31.
tepefacto 38.
Thynia 9.
truso 38.
turgidulus 26.
uvidulus 26.
Veraniolus 40.
vesanio 38.
Zephyritis 10.
zonula 18.

II. Tibullus et panegyricus Messalae.

Aquitanus 42.
Arecteus 46.
Artacie 44.
Arupinus 46.
confindo 47.
Diaspes 45.
domator 45 sq.
Herophile 41
inaequatus 46.
Magyni 44 sq.
Marpesius 41.
Meletaeus 46 sq.
Molorcheus 47.
Padaeus 45.
Phyto 41.
quotuscunque 42.
seiunctim 47.
Tarbellus 41 sq.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 485 3

III. Propertius.

Adryas 50.
Alcmaeonius 52.
Amphiareus 52.
Amycle 48.
ardidus 55 sq.
Arganthus 49.
armillatus 55 sq.
assessus 51.
Athamanus 52.
Autarius 52.
baris 50.
Bellerophonteus 52.
Borysthenidae 49.
cantamen 51.
carbasus 55.
Cepheus 49.
Ceraunus 52.
crotalistria 50. sq.
Cytaeis 49.
Cytaine 49.
Daedalius 52.
Dorozantes 49.
eviolo 56.
exuvium 52.
Glaucis 49.
Gygaeus 53 sq.
hederosus 53.
heroine 50.
Hilaira 49.
Horops 49.
Horos 49.
Hylaeus 53.
Hylleus 53.
Iasis 49.
impressus 55,
intepeo 56.
Lampetie 49.
Latris 49.
Lycinna 49.
Lycomedius 53.
Lycotas 50.
Lygmon 50.
memorator 51.
Menandreus 53.
Menelaeus 53.
Naicus 53.
Neuricus 53.
Nilotes 53.
Nycteis 54.
Oromedon 50.
Oronteus 54.
Parthenie 50.
Petale 50.
Perimedeus 54.
Phaeacus 54.
Philetaeus 54.
roridus 54.
sevehor 57.
spectaclum 52.
Strymonis 50.
Thiodamanteus 54.
thyius 54.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 485 3